EPINICIA MVSARVM,

EMINENTISSIMO
CARDINALI
DVCI
DE RICHELIEV.



PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY Typographum
Regium, via Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. XXXIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

HEROI
ARMANDO RICHELIO
CARDINALI
DVCI.

EMINENTISSIME MORTALIVM,

Sacra eſt magnarum Virtutum memoria, quam ſiue animis, ſeu marmoribus, vel codicibus inſcriptam, ipſi hoſtes ſuſpiciunt, æmuli laudant, omnes venerantur; rariſſimi tamen ſunt, qui longos ſæculorum lapſus, acerbam præſentium inuidiam, & otioſum poſteritatis iudicium ſuſtinere poſſint. Eſt enim difficilis gloriæ cuſtodia, non modò apud præſentes qui inuident, ſed etiam apud poſteros qui eas in

altera ætate virtutes indignantur, quas in ſua non agnoſcunt. Itaque omnium intereſt, magna exempla veris, & numquam perituris commendari monumentis; quæ cùm vel pauciſſima, vel nulla prorſus ſuperſint, beati ſunt demum illi, quorum res eximiè geſtas, nulla ſeruilis ingenij culpa detriuit. Etenim cùm plerique omnes, quos in excelſo virtus fortunáque collocarunt, tam adulatione, quàm veris laudibus obruantur, vix eſt vt alij ſcribant quàm qui vel metu, vel pretio laudant; quod hominum genus veritatis ſemper incurioſum, plerumque ſterile, hoc tantùm aſſequitur, vt aulicæ ſeruitutis mendacia operosè deſcribat; adeo magna res eſt ingenuus ſcriptor, qui prouidæ, iuſtæque libertatis pertinax, nec illam turpi obſequio prodit, nec venali commendatione decolorat. Certò qui alienas virtutes benè laudat, ſuas facit, quódque Platonicos olim dixiſſe memini, ſimili prorſus conatu Natura Homerum effudit, quo Achillem, illum vt faceret, hunc vt diceret, vel maximi Regis teſtimonio, qui felicem eum prædicauit, quia parem rebus geſtis vatem nactus eſſet. Tu quidem, Eminentiſſime Cardinalis, quantum ad hoc ſpectat, duro certè & inuidente fato na-

tus es, qui ſupra cæteros mortales tot dictis factíſque, toto terrarum orbe clariſſimus, omnes homines Virtutis tuæ teſtes, nullum verò ſcriptorem inueniſti; Equidem eos operis magnitudo deterrere potuit; verùm maxima laboris pars confecta erat, quando nihil ad gratiam tuam fingere, nullo te probro demereri oportuit. Ingentia vitæ tuæ decora in aperto ſunt, publica in luce verſantur, omnium oculos ſubeunt, adeo vt hiſtoria tua, ſola veritate laboret. Quis tot Gallorum cladibus inclytam, tot inanibus olim Regum odiis ferocem Rupellam ignorat? Illa nominis noſtri antiquiſſimos hoſtes euocauerat, quibus fœderis rupti ſcelus, hac mercede placebat, ſi aut ſuis partibus adiungerent, aut à noſtris diuiderent. metuebant vicini ne caperetur, ipſi noſtri tot bellorum materiam oppugnari, non expugnari volebant. Socij deſerebant, hoſtes inuadebant, perduelles inſtabant, Rex Æger, inops ærarium, annus peſtilens, Britannica claſſis, Oceani Æſtus, potiundæ ſpem adimebant Tu prælio Anglos, Oceanum aggere, cætera impedimenta vel priuatis mutuóque ſumptis opibus, vel excelſæ mentis conſilio ſuperaſti. Premebat in-[illegible]nus Caſalim contra ius, fáſque fœ-

derum, quâ ſi potitus fuiſſet, Principum iura imminuta, Italiæ libertas oppreſſa, Pontificum dignitas profligata videbatur. Rex aduersùm iniqua validus, nec Gentilitio decori, nec hæreditariis tutandæ Italiæ, Eccleſiæque exemplis deerat: verùm fatigatum totius Europæ victoria ad Rheam inſulam exercitum habebat; Europæ victoriam voco, quam Anglia ſenſit, Hiſpania horruit, Germania timuit, ipſa Italia quæ liberabatur, noluit. Adde occupatas præſidiis Alpes, paratos iamdiu hoſtes, Ciues ſemper infidos, audacter dicam, multa foris metuenda, plura domi, quæ ſingula magnos impetus, & grauem ſpoliis militem morabantur. Sed præcipuè anni tempeſtas, adeo vt ipſa rerum natura Gallicæ virtutis impedimentum eſſet, nam Itali Hiſpaníque minima momenta videbantur. Tu Regi proprios dignóſque Natalibus ſuis animos gerenti, iámque auita Regni exempla, & antiquam Gentis dignitatem reputanti, vltróque iuſtiſſimæ cauſæ patrocinium ſuſcipienti, omnia quæ dici, quæ fieri poterant, qua ſoles facundia propoſuiſti. Regis laus eſt, qui optimum concilium quod fideliſſimo animo dediſti gratiſſimo accepit, fortiſſimo perfecit. Nihil inſidioſa Sa-

baudi virtus, Nihil inimicæ gentis faſtus obſtitit: ille montium anguſtias victus, hic ne vinceretur vrbem obſeſſam turpi fuga reliquit; quódque miſerorum ſolatium eſſe ſolet, ambo ſolitis fœderum artibus metum diſſimularunt. Tunc verò & Ligures, & Inſubres, & Neapolitanos, quos domeſtica proditio nobis eripuit, Hiſpanis dedit, liberare facillimum erat. Hoſtis pecuniæ, Commeatus, militum inops, etiam populorum odio laborabat: nos in ſumma rerum copia, Regem, Richeliúmque, Duces ſequebamur. Sed optimus Princeps, æquò fortaſſe iuſtior, orbis paci damno ſuo conſultum voluit, timuítque ne aliena vſurpaſſe videretur, qui propria repetebat. Scilicet nos artes, nos ſcelera ignoramus, illi virtutem, & bellum. Intereà varium multipléxque hominum genus, quod Religionis ſimilitudo coniunxerat, in Aquitania res nouas aut moliebatur, aut expectabat. Atque illos quidem timor primò fœderatos, mox inuidia æmulos, tandem potentia metuendos, vltimo ſecuritas hoſtes fecerat. armis, opibus, exercitu, vrbibus validos, ſcelerum ſuorum materia delectabat; iámque proprios Duces, iam Senatum, iam Prouincias, Imperium, Imperii-

que inſignia meditari. Maximi Principes, atque Imperatores totos centum annos non dicam vincendæ, ſed irritandæ inſaniæ conſumpſerant, tantúmque ſanguinis Gallici effuſum erat, quantùm domandæ Hiſpaniæ ſatis ſupérque fuiſſet. Tu magno, nullíſque tacendo ſæculis conſilio, paucorum menſium ſpatio perfeciſti, quod integro ſæculo ſummi Duces non potuerunt. Ipſa criminum officina, antiquum Rebellionum ſeſſimonium fidei ſe tuæ commiſit, eóque momento Regi ſubditos, Patriæ ciues, Regno vires reddidiſti. tam ſubitum tantæ rei miraculum, infenſum, numquámque, niſi dolis parem, inimicum terruit: ille ciuilis belli cruentas ſpes Indico mercimonio emerat, emptas ſimili fraude fouebat; iámque futuri malè ſagax, nupérque iurati fœderis immemor, maximi nominis Ducem in Italiam miſerat, qui extinctam gentis dignitatem iactatis ſæpè miraculis excitaret. Allobrogum copiæ Alpes, Hiſpanici exercitus Caſalim, Germanica auxilia Mantuam cingebant; vnius in exitium Principis, qui hoſtibus ſuis adfinis cognatúſque erat, niſi ambitio, & alieni cupiditas familiæ iura violaſſent, tanto tot gentium apparatu Italiæ cladem, Eccleſiæ ludibrium,

brium, Pontifici maximè ſeruitutem parari nemo non videbat: Sicilia latus cingit, Neapolis ceruicibus imminet, Mediolanum iugulum petit. Si Mantuanæ ditiones ſuperbæ gentis imperio acceſſiſſent, illa communis terrarum patria, Iudaïcæ auaritiæ præda, Hiſpanicæ crudelitatis ſpoliarium, Mauritanicæ perfidiæ victima fuiſſet.. Quid Romam loquor, ipſum Chriſti Vicarium quomodo habuiſſent, atrocia maiorum exempla oſtendunt, quæ gentilitio crimine repetebant. Tu Gallici Principis periculum, Galliæ dedecus eſſe intellexiſti. Verùm intercluſa itinera, occupatæ montium anguſtię, Sabaudus notæ, callidæque fortitudinis, celeberrimus & Belgicis cladibus inclytus Ligur, fretúſque popularium opibus, qui ex quo propriam libertatem vendiderunt, alienam oderunt; Germanicæ denique legiones tot præliis exercitæ, coniunctæque tot populorum vires, Regem, non animi, nec euentus, dubium, ſed quem eligeret ducem incertum anxiúmque detinebant. ægrè ab aſpectu tuo diſcedebat, ſed qui tantam belli molem regere, qui non modò coniuratis totius Europæ copiis, ſed etiam conſiliis obſiſtere, qui euertere poſſet, alius præter te non erat. Tu diffi-

cillimam prouinciam tibi delatam magno animo ſuſcepiſti, maiore geſſiſti: ſuperatæ iterùm te duce Alpes, vrbs fortiſſima ſummorum in oculis Ducum expugnata, belli exitus, Mantuano ſua iura, Pontifici ſua dignitas, Italiæ ſua libertas conſtitit. Audaciſſima natio cùm nihil timet, timida cùm aliquid audendum eſt, oppidum munitiſſimum, mœnibus, vallo, caſtris denique ſuis tutum, magna noſtrorum gloria, maximo ſuorum dedecore reddidit. Quæ omnia auſpiciis primò tuis, deinde conſiliis geſta ſunt, poſtquam aulica quorumdam factio, qui neque laudes tuas creſcere, neque Hiſpanicas partes premi ferebant, te reuocauit. Odi, Eminentiſſime Cardinalis, illa ingenia, quæ niſi adulando placere non poſſunt: ego certè ſeu viuendi conſuetudine, ſeu vaſto eruditionis commercio, humili hoc ſordidóque oppignerandi ſe modo longè altior ſum: itaque qui tuas tibi virtutes, qui decora dixi, vnum quod in vita tua peccaſti, neceſſe eſt pariter audias. (Si publicum illud excipias, quo Gallos omnes deuinxiſti) nec beneficio, nec iniuria, me tibi obnoxium puto. Nam beneficium non merui, iniuriam verò nemini vnquam feciſti; igitur quæ ſentio vera, &

loqui, & ſcribere poſſum, aſſentationis odiíque neſcius quorum cauſas procul habeo: qui hactenus cætera omnia optimè feceras, beneficia peſſimè collocaſti. Neſcio quos homines demereri voluiſti, quorum (non dicam merita quod facillimum erat) ſed ſpes licet improbas, ſed vota quamuis ſuperba ſuperaſti: pecuniam, fundos, dignitates, fortunam tuam, pene te ipſum inter illos diuiſeras, & tamen ingratiſſimi mortalium, quia ſoluere non poterant, debere noluerunt. Hoc ipſo momento quo rerum in Italia geſtarum gloria nomini tuo ingentem famam circumfundebat, illi meditatum nefas in pernitiem tuam compoſuerunt; perfido quidem molimine, non tamen irrito, niſi Gallici Regni fata, Regiæque ſalutis Genius, nefarios conatus compreſſiſſent. Iam aulæ ſecreta inuaſerant, iam ſcelesta odia quæ ſub vultu, ſub oſculo, ſub pietate latebant, ſe ſe audaci inſania prodiderant. Quod illis fidem aliquando habuiſti, hoc primum eſt quod te peccaſſe probi non dubitant, quod etiam authoritatem addidiſti, hoc ſecundum eſt. Sed tertium quod omnes indignantur, vix illis nocendi poteſtatem abſtuleras, cùm eorum iniuriæ memoriam tam facilè abieciſti,

quàm illi beneficiorum tuorum abiecerant. Exiſtimas fortaſſe etiam ex dignitate tua eſſe, vt beneficia quoque perdas; verùm ſi tua non intereſt vt reditura colloces, quia non computas, intereſt illius ſæculi, quo te poſteritas vixiſſe ſciet, ne debita bonis præmia, malis olim reddita moleſtè ferat; Quamcumque tamen illi ſcelerum ſtruem ædificauerint, exeruit ſe ſupra ignobiles calumnias clariſſima veritas, tranſiliit facinoroſi ambitus perfidos auſus, & quidquid mala interpres opinio apud dementatam plebem traduxerat, virtutum tuarum meritum ſuperauit. Scelerum vindex Deus quidquid vlciſci vel leui manu noluiſti, plena, grauíque, ingratis rependit; Illis præcipuè qui olim vitæ tuæ, nunc & famæ inſidiati, mendacio moliuntur, quod parricidio non potuerunt. Agnoſcunt omnes mecum illam piacularem bigam, illos tot ſcelerum Anteſignanos, qui poſtquam apud nos flagitiorum vſum fecerunt, apud alios artem docent; qui Regio Principi, qui Domino ſuo, omnia dira fingunt, quia ſibi metuunt; metuunt autem quia meruerunt: quorum alter ſimulata pietate, alius vera inſania, ambo ſtultiſſima ambitione famigerabiles, quia imperij curis exciderunt,

quas magno dementiæ ſuæ indicio concepe-rant, ideò exteros ſeceſſus, ſæuam in hoſtico abſentiam, & crudelem cum vaſtitate patriæ reditum, optimo ſed incauto Principi perſuadent. Et illi quidem generoſum & apertum pectus, fraudis dolíque neſcium, ſed tectis eorum, Hiſpaníſque, quas iunxerunt, artibus penetrabile, peſſimis hoſtilibúſque conſiliis imbuunt. Veniet illa dies, quæ voti noſtri ſumma eſt, cùm digna Henrico Patre, digna Ludouico fratre cogitabit: tunc verò tot Regum ſoboles, tanti ſanguinis, ſuíque conſcius, & hactenus ſola credendi facilitate nocens, malam, indignámque tanto rerum culmine manſionem auerſatus; furioſa coniurati cœtus conſilia damnabit, forſitan & his hoſtiis vel proditæ hoſtibus dignitati ſuæ, vel publico Galliarum odio litabit. Prorſus ſatis ſeipſum non amauerit, niſi ſatis illos oderit. Taceo ciuilia quæ lugere quàm ſcribere ſatiùs eſt, quæque ipſi omnium malorum artifices de more fabricati ſunt. Melioris cauſæ tutelam propitium numen ſuſcepit, eiúſque præſidio ac conſilio tuo, Regi maieſtas, Regno ſecuritas reddita; quódque miraculo proximum ducimus, iuſto ac neceſſario, quamuis triſti lugen-

dóque exemplo, compreſſa eſt potentiorum inpune peccandi licentia, quam leges nôſtræ ſemper quidem damnauerant, mores tamen noſtri ſemper retinuerant. Inter tot ingentes curas etiam extinctam Germanici imperij maieſtatem tutandam ſuſcepiſti, tandémque Lotharingiam, iam olim falſo ſtemmate criminoſam, nunc Regiis, quæ fefellerat, fœderibus iuſultantem, & hoſtilibus, quas implorauerat copiis ſuperbam, ad veteris clientelæ famulitium reuocaſti. Vltimo Nancæum inhumanæ fortitudinis vrbem ea conſiliorum tuorum ratione Rex cœpit, cui parem ſi in aliis capiendis, adhibebis, certè magis Poëtis qui laudent, quàm militibus qui expugnent, indiges. Verùm Epiſtolam non Hiſtoriam ſcribo: exorietur aliquis qui rerum tuarum ſeriem non erubeſcendo apud poſteros teſtimonio conſignabit, qui earum dignitatem verborum ſplendore imitabitur. Ille tamen, omnéſque Poëtæ quorum hoc volumine verſus habes, ea tantùm de te, virtutibúſque tuis, ſcribere poſſunt quæ publica ſunt, quæ Gallia, quæ Italia, quæ orbis nouit. Equidem ſunt hæc maxima, ſed quæ poſt Regiam virtutem felicitatémque, vel temporum momenta, vel mi-

litum fortitudo, ſibi vindicare poſſunt: illa prorſus neſciunt quæ tota tua ſunt, ſtupenda ſcilicet & numeroſa ſublimis ingenij tui opera, quæ nos longè purpura tua celſiora, longè quocumque faſtigio maiora exiſtimamus. Atque hæc ſunt tranquilla inconcuſſæ mentis ſecuritas, ſolers ſupra mortalem prudentia, nihil fortunæ fide agere, venientem expectare, poſtquam aduenit retinere, recedentem ſequi, recedente denique, inuita, & irata frui. Bella, pacem, opes, gentium, nationum, populorum, flectere, mouere, verſare, orbe tandem toto ad libitum vti, ſed iuſtè, ſed ſapienter, nihilque ferro petere, niſi quod iuri negatum eſt; hæc ſunt quæ Hiſtorici Poëtæque quotquot ſunt ignorant. Tu verò, Eminentiſſime Mortalium, ſi poſteris vt nobis conſulere, ſi humano generi vacare lubet, concute diuinos cæleſtis animi tui motus, euolue arcanas immenſi pectoris dotes, deſcende in abditos grauidæ mentis receſſus, interroga fœcundam conſiliorum molem, vtere denique te toto, per aliquot dies, indulge te tibi: prorſus quod Perſarum Indorúmque Sapientes docent, qui animam in ſe recedentem omnia & ſcire, & continere prædicant, verum experieris. Etenim

in anima tua virtutum omnium, in vita negotiorum, in ingenio doctrinarum orbem agnoſces; ita quicquid feciſti quibus conſiliis aliquando ſcribes. Fortiſſimus virorum, olim qua manu tot res maximas geſſit, eadem deſcripſit. Tu illo dictis factiſque non inferior ſola ſedecim ſæculorum authoritate tam nobili exemplo cedes, ipſe quoque poſteris ſimile futurus exemplum. Certè poſtquam omnes non dico ſcriptores ſed homines recenſueris, neque teipſo ſapientiorem, neque prudentiorem optare potes, nec ſi optaueris inuenies. Vale, Eminentiſſime Mortalium, & nos ama.

GOMIN.

EMINEN-

EMINENTISSIMO CARDINALI DVCI IN EPINICIA MVSARVM.

ADEVNT te *Muſæ* (*Cardinalis Eminentiſsime*) *immo opinor obruunt: ſed tu quid illas obruis geſtorum multitudine? Silere certè nec poſſunt, nec debent; quas tu non minus quàm ſol Memnonis ſtatuam vocales reddis, dum illas purioribus radiis tui fauoris aſpergis. Hæ quãquam referenda gratia longè impares, hoc tamen ſolæ præſtare poſſunt, quod vel Rex aliàs potentiſsimus, vt efflictim optaſsit, conferre nequit; nimirum te natura mortalem, immortalitate donare, & meliori quidem iure quàm ſuos Imperatores Romani, quos illi demortuos dumtaxat in apotheoſin referre conſuerant; Muſæ verò his æquiores, viuentem, vigentémque & grandi paſſu in res magnas euntem, cœlo te iamdiu beant,*

tuámque famam veriùs quàm Aquila ſtupeis vinclis ſoluta Principis animam in ſublime ferunt , penna , *quod ait Vates,* metuente ſolui. *In tuas laudes ire iam nunc (inclyte Princeps) non eſt animus : nimis auguſta ſunt , vt tam anguſto verborum gyro concludi valeant: canunt eas Muſarum tuba his Epiniciis, ad quæ tot Hiſtoriarum monumenta reſponſant , dum omnes diſsimilibus vocibus , ſimillimis ſententiis dicunt , quanta ſapientia Gallicum orbem temperas , quem multis ab hinc annis conſiliis regis , exornas geſtis , oraculis firmas, miraculis illuſtras. Ibunt extra Regni cardines , & omnia temporum ſpatia poſt ſe relinquent, quæ tu* LODOICI *Pÿ, Iuſti, Victoris & Triumphatoris auſpiciis ad Rheam, Rupellámque non minus fortiter, quàm feliciter egiſti. Mare frænatum aggere , perduellium vires attrita , trans Alpes bis lecta palma, Nancæum nouiſſimè receptum , qualis & quantus ſis apprimè loquuntur ; cuius mens intra ſe velut in centro reſidens occultis radiis in Hiſpaniam, in Angliam, in Germaniam & Batauiam tam potenter excurrit.*

In hos ergo triumphos quos tibi vniuerſus orbis decernit, patere (Heros maxime) vt tibi famulantes Muſæ currum exornent , & hæc Epinicia concinant. Pandent vrbes non muros, ſed ciuium

pectora, plaudénſq. te populus venientem excipiet,

Seu Deus immenſi venias maris, & tua nautæ,
Numina magna colant.

Seu quocunque alio nomine placet indigitari. Vocet te nunc Gallia Regni lumen ac columen, Socij protectorem, Regius Ordo Torquatæ militiæ ſplēdorem, oræ maritimæ vtriuſque maris Rectorem, Roma purpuræ decus, Francia Ducem ac Parem: nos te Muſarum Parentem in præſens eſſe volumus, quas tu tanta munificentia iamdiu cumulas, Vt filiæ Mnemoſynes eſſe deſinant, ſi illis vnquam excidant à te in litteratos profecta beneficia. Quibus quæ memori mente perſoluant, in promptu ſunt (Armande Generoſiſſime) hæc EPINICIA, *quæ illæ tanquam ſerta è floriferis ſuis ſaltibus lecta, tibi Fautori ac Tutelari Genio conſecrant. Vtque olim in Cereris Mycaleſiæ templo quicumque verni flores vel fructus ad pedes ſimulachri Deæ fuiſſent appoſiti, integri, vegetique per reliquum anni tempus durabant; Sic ſperant Muſæ, vt hi partus ingenij quos aris tuis velut ſagmina de glebis apponunt, tuo potenti Numine nullam temporis omnia deterentis labem ſint perpeſſuri, excipiántque illos non modò præſens ſeculum, ſed & in omne æuum ſpiratura poſteritas. Vale.*

SC. D. GR.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

NE mirere, Lector, ſi nullam hîc, nec rerum, nec temporum, nec perſonarum ſeruatam ſeriem vides: nam vt ſingula in manus nôſtras venere, ea prælo ſubiecimus. Si qui ſua hîc deſiderari querentur, ſciant ea nos effugiſſe, quibus tamen ſecunda editione, quæ breui locupletior prodibit & accuratior, faciemus ſatis. Hoc te monitum volui. Vale & fruere.

IN
EPINICIA MVSARVM.

RICHELIDES *Votum Patriæ , Spes ardua Regni,*
Francorúmque æternus Amor: quem diuite fœtu
Parturiens toto Natura laborat ab æuo
Non aliàs auſura parem: cui ſtemmate primo
Splendida Nobilitas etiam ſibi Lilia nectens,
Heroas præmiſit auos: Securus, HONORIS
Templa ſubire parat, Vatum ſtipante Coronâ.
Tu generoſa Parens, tantæ ſpectacula pompæ
Dum læto aſpicies, quo Solem, Gallia, vultu,
Fama canet, plaudent Populi, mirabitur Orbis.

I. HABERT.

IN
EADEM EPINICIA.

O VATVM *veſana cohors, qui carmine multo*
RICHELII *nomen tollere in aſtra putant.*
Non ſi ſacra Viri totus Permeſſus inumbret
Tempora, vel Palmas India tota metat:
Non ſi tota ſuam Libetra hic depleat vndam,
Herôum referat præmia digna Duci.
Verſibus addit opes fulgor radiantis abollæ,
Quà fundit nitidas Purpura læta faces.
Hinc decus omne petunt, hinc ornamenta Poëtæ,
Nec ſine RICHELIO *pagina lumen habet.*
Comptior hoc Phyliræ intextu Phœbæa ſuperbit
Mænas, & vndantem varicat inde gradum.
Hic vocem inueniunt mutæ, ſteriléſque Camœnæ,
In numeros quando nullus Apollo venit.
Hic tamen officio certent licet vndique vates,
Plus vitæ & famæ conſuluere ſuæ.
Et ſi carminibus quicquam RICHELIVS *iſtis*
Debet, plus debent carmina RICHELIO.
Nam quæ ſub Phœbi lauro malè tecta fuiſſent,
Hæc ſub RICHELII *numine tuta manent.*

S. D. GR.

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt,& Patentibus eius litteris cautum, ne quis in Regno ipſius, aliiſve locis eius ditioni ſubiectis, intra nouem proximos annos,à die impreſſionis primæ inchoandos & numerandos,excudat, vendat,excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione curet Librum, qui inſcribitur, *Epinicia Muſarum, Eminentiſſimo Cardinali Duci de Richelieu*, præter eum quem elegit D. de Boiſrobert, cui hoc Priuilegium conceſſum eſt. Prohibitum inſuper eadem authoritate Regia omnibus eius Subditis, eundem Librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam vbicumque fuerit ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu eiuſdem, ſub pœna confiſcationis librorum, aliiſve pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis die 23. Aprilis 1633. Signatum, DE LA TOVR.

Atque is D. de Boiſrobert omne ius ſibi à Principe conceſſum tranſmiſit ac permiſit Sebaſtiano Cramoiſy, Librario Iurato, ac Typographo Regio ordinario, vt vtatur, fruatur, toto tempore Priuilegij, vt liquet in tranſactione cum eo ſuper hac re facta 10. die Maij, anni 1633. Subſcriptum, LE METEL.

Editio prima perfecta eſt die 14. Auguſti, 1634.



C'eſt en vain qu'en cette page
On peint l'heur de l'vniuers.
Puis qu'en chacun de [illegible]
[illegible]

EPINICIA MVSARVM,

EMINENTISSIMO

CARDINALI

RICHELIO,

DVCI AC PARI FRANCIAE

NVNCVPATA.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

EMINENTISSIMO

CARDINALI RICHELIO.

QVOD vnum in rebus humanis ad diuinitatis propè æmulationem præſtantiſſimum ſemper eſt habitum, benefacere quamplurimis, id à cuiuſque cùm voluntate partim, partim etiam facultate pendeat; alterum, quod naturæ eſt, benignitas tibi tua, CARDINALIS EMINENTISSIME, vt velis, alterum, quod fortunæ, præſtat dignitas, vt poſſis. Atque earum quidem vtriuſque cùm amicâ non ita pridem conſpiratione factum ſit, vt delatus commendatione vltrò tuâ non petenti mihi Regij Hiſtorici perhonorificus in primis opimo cum ſtipendio titulus, res à fortiſſimo Principe ſtrenuè geſtas, & à te ſapienter adminiſtratas literis mandandi onus impoſuerit grauiſſimum; in-

grati profectò iure poſtuler, ſi, quantùm animo eniti & labore aſſequi potero, non efficiam in ſuſcepti operis decurſu aliquando, vt, quàm præclara totius Galliæ pro gloriâ, deliberando pariter atque agendo volueris, potueríſque, poſteritas à non immemore accepti beneficij ſcriptore intelligat. Intereà, cùm ſpectatâ omnibus domi militiæque hoc decennio quàm excellenti, tam neceſſariâ quoque patriæ virtute tuâ id iam ſis apud omnes meritò conſecutus, vt incolumitas tua inter bona publica numeretur; faciendum mihi tantiſper hoc deſultorio ſcribendi genere putaui, ne, dum recuperatam tibi modò cum animi alacritate valetudinem gratulatione certatim plauſúque aula vniuerſa ingenti proſequitur, ſtudium in communi illâ beneuolentiæ teſtificatione, ac ſignificatione lætitiæ priuatum meum, officiúmque deſiderari abs te diutiùs paterer. Accipe igitur, CARDINALIS EMINENTISSIME, quæ hic tibi à me vtcunque exhibentur, pro ſeris Hiſtorici debitoris Chariſteriis non intempeſtiua Poëtæ clientis SOTERIA; ſuperiore quidem illa anteà edolata anno, cùm ex grauiſſimo, qui te propè orbi in Aquitaniâ tunc eripuit, morbo recreatum Lutetiæ bruma reddidit: dein verò, cùm idem ille poſteà exeunte nuper autumno in Campa-

niâ recruduiſſet, ſub incudem ex interuallo reuocata, & nunc demùm ſoſpiti tibi, reducíque oblata primùm, âtque in vulgus edita. Quæ tu, quanquam & nouitatis, quâ ſolâ fortaſſis placere poterant, aliquâ iam ex parte gratiam exuerint, nec auribus tuis admodùm digna ſint, vt boni conſulas tamen, &, mea vti hactenùs diuerſi generis omnia, haud illibenter legas, ſummoperè à te contendo. Nec id ſanè quin pro more tuo, cùm per innumeras occupationes licebit, facias peramanter, amor ille ſingularis tuus, quo nobilia recentium aliquot Poëtarum ingenia vno præcipuè abhinc anno complecti exorſus cæterorum ſtudia excitaſti, dubitare me patitur. Ad quod ſi acerrimi iudicij illius, cuius in te vim maximam etiam illi mirari coguntur ipſi qui minorem experiri mallent, calculus porrò fauórque acceſſerit; næ tum ego me longè maius aliquid quàm iſtud quidquid circà illuſtrium Regij ærarij Præfectorum limina ambitiosâ mendicitate tam anxiè à multis corrogatur, conſecutum à te putabo. Sed de me, nugíſque item hiſce meis exiſtimabis tu quidem, CARDINALIS EMINENTISSIME, vt voles; voles autem, vt ſoles, benignè: de te verò ac rebus tuis ſic tibi, oro te, atque obteſtor, fac planè perſuadeas: is cùm ſis hac tempeſtate, in cuius

propemodùm vnius ſalute atque vitâ, immortalitate digniſſimi Regis ſalus quodammodò vertitur vitáque; nihil illi te ſapientiâ, induſtriâ, fide, atque ope ſolitâ omni tuâ gratius præſtare, vt nunc ſunt tempora, poſſe aut melius, quàm ſi moderatione adhibitâ publicæ rei, priuatæque valetudinis parem in poſterum curam habeas. Nam alterutram quidem vt abiicias, aut negligas,

Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.

At tibi, CARDINALIS EMINENTISSIME, nobíſque omnibus, hoc eſt, bonis, quicquid vel hoſti optabile eſt vel improbis, id non committere vt fiat, aut operæpretium decet eſſe, aut votum.

IOANNIS SIRMONDI SOTERIA, PRO EMINENTISSIMO CARDINALE RICHELIO.

AD FRANCIAM.

QVOD tibi ſupremis Heros demiſſus ab aſtris,
Ille tui vindex Heros, fidúſque Miniſter
Imperij, morbo tandem recreatus iniquo
Munia iam ſaluæ redit ad genialia vitæ,
Fauſtáque commiſſi repetit moderamina regni;
Nobile Fatorum munus, & grande fauentum,
FRANCIA, *pignus habes Superûm. Nec, vera fateri*
Si iuuat, atque ſuis expendere ſingula cauſis,
Plus vnquam dominæ bis denis hactenùs annis
Contulit vlla dies Luparæ, quàm mortis ab atro

Limine iucundas reuocatum in luminis oras
RICHELIVM *tibi quæ magnum nunc ſidere dextro*
Reſtituit. Minùs illa dedit, quæ Marte rebelles
Contudit, aut ſocios lux tutelaribus armis
Aſſeruit; patriis quanquam celebrata Camœnis
Vtraque Pelleas æquet victoria palmas.
Proh! quantùm mors vna viro tibi nuper in vno
Abſtulerat, fato ſi tunc præreptus acerbo
Ancipitem mediis nauim liquiſſet in vndis.
Iam toties victus nobis nos funere tanto
Vicerat, hoc gemini totis prouentibus Indi
Qui mercetur Iber, ſpoliis habiturus in illis
Quod ſibi tot clades inter paſſimque labantis
Imperij verſâ properantes ſorte ruinas,
Plaudere iam poſſet primùm. Sed inania venti
Herculeas vltrà pelago mergenda columnas
Vota ferant; Geniúſque, tuis qui præſidet oris,
Infandum noſtro procul hinc auertat ab æuo
Omen, & heu! nullis damnum reparabile ſæclis;
Sítque ſatis tanto ſemel intremuiſſe periclo.
Nam memini, mentíque tenax hærebit imago.
Hei mihi! qualis eras, ægri cùm torrida ſiccis
Vis fureret membris, & crudi cæca veneni
Sarcina deciduo ventrem conuelleret imum
Pondere? Non vnâ graſſantis parte doloris
Adſtanti propiùs, tam dura, nec æqua ferentem
Pars ſpectaſſe fuit. Sed cùm iam corpore vires
Deficerent, ſummôque fugax propè ſpiritus ore
Erraret dubij pendens in limine fati;
Vana ſibi duræ fingens præſagia ſortis,

Et

Et quæ tunc timuit cernens, vel cernere viſus
Obſtupuit tacitus primùm, mox oris anhelo
Eluctatus iter gemitu, nec pectore claudi
Iam patiens totas mœror laxauit habenas
Planctibus, & mixtâ lachrymis deferbuit irâ.
Tunc ſparſas laniaſſe comas, tunc pectora durâ
Te planxiſſe manu conſtat, metuendáque latè
Hoſtibus, & nullis non cognita gentibus arma,
Sceptráque cum geminâ procul abieciſſe coronâ,
Et populis timuiſſe tuis. Rectoris egentem
Ceu dubio cùm vector agi videt æquore puppim
Incertam, rapidi miſcent vbi prælia venti:
Coniugis ille memor charæ, natíue paterno
Quem fouet abſentem gremio, ſuſpirat, & omnes
Ore ciet, gemitúque Deos, dum fracta reſidat
Vnda Therapnææ ſub amico ſidere flammæ.
At bene! quòd vacuas ceſſit timor omnis in auras,
Et ſolito ratis exultans it tuta magiſtro.
Viuit, iò, viuit, prolatáque fata per annos
Exiget ille tibi longos, quo ſoſpite votis
Blanditur fortuna tuis, triſtíſque nocendi
Vis perit aduerſis, inter diſcrimina, fatis.
Atque huic nigra quidem vicini nuntia lethi
Venerat hora diem vitæ clauſura ſupremum;
Sic triplices Parcæ, nataliáque aſtra ferebant.
Sed facilem proni dare iuſta petentibus aurem
Dij tantum vetuêre nefas. Dij nempe querelas
Audiuêre tuas, nec vota, precéſque morari
Suſtinuêre diu non inuidioſa rogantis
Pro patriâ gentis. Cœli vix limina ſupplex

Impulerat clamor ; morbi vis prima remittit
Protinùs , atque luem , mora nulla , ſecuta fluentem
It procul in riuos febris ; fugitiua per artus
Vita redit , redit alma ſalus , deluſa faceſſit
Non auſura priùs renouati ſtamina fuſi
Rumpere iam Lacheſis , terris quàm debitus Heros
Extremas Pylij metas tranſmiſerit æui.
Quid patrias igitur ceſſas dare thura per aras ,
Et votiua ſacris ſuſpendere munera templis ?
I , ſummos venerare Deos ; i , feſta per vrbes
Otia cum ludis , reſoníſque per oppida lætas
Cantibus exerce choreas ; nec prodiga totis
Pocula defuerint menſis. Ac , ſi qua futuri
Anxia lætitiam minuit fors cura recentem ;
Pone metum ; tibi nil illo ſpirante timendum eſt.
Quo te cumque minax telo , quocumque laceſſat
Turbine ſors volui faciles regníſque viríſque
Alternans non vna vices ; tu deſpice : Tiphys
Redditur ecce tibi patrius , clauúmque iubente
RICHELIVS *ſub Rege tenet. Quas æquore Syrtes*
Iam metuas , Scyllæue minas ? Haud talibus olim
Præſidiis medias Argo tranſuecta per vndas
Littore conſedit noto. Præſentia confer
Præteritis ; æuo tibi quæ ſperanda futuro ,
Enthea fatidicæ non te cortina Sybillæ
Certiùs , & muti doceat vox conſcia Phœbi.
Fortunæ refluis pridem vexata procellis ,
Biſſenique ſitu longo marcentia ſæcli ,
Lilia deuexâ lentè ceruice iacebant.
Omnis in incerto rerum ſtatus , omnis in arcto

Exitus, & dubiis hærens euentus in auſis.
Quo væſana Deos, ſimili quoque perfida Reges
Hæreſis auſpicio certans de ſedibus vnà
Exturbare ſuis, diſcordi ciuica motu
Pectora verſabat, longóſque trahentia luctus
Mutua vicinis ſpargebat funera campis;
Nec deerat noſtras ſibi gens partita ruïnas.
Hinc volucris cognata biuerticis arma, nouíque
Exuuias mundi, ferro metuendus & auro
In malè pacati nutantia culmina regni
Attollebat Iber: nihil hinc ſibi, fœdere ſpreto,
Non pelago fas eſſe ratus, pronúmque Britannus,
Arcanis incluſa fero ſub pectore votis
Haud benè ſopitæ renouabat ſemina rixæ.
Et, cuicumque tuis poterat res creſcere damnis,
Hoſtis erat. Belli circùm tot fluctibus actæ
Nulla foris vano pax non circumlita fuco,
Nulla domi non fluxa quies. At Romula poſtquàm
Iuſſa tui pariter curis aſſurgere ſceptri
Infula, diffuſi titulis effulſit honoris;
Ilicèt æqua pari faſtigia ſuſtulit auctu
Huic regni commiſſus apex. Quid nota vel ipſis
Gentibus aduerſo tellus quas ſubmouet axe
Ordiar, immenſóque retexam ſingula gyro,
Quæ populis ſerum nullis reticenda per æuum
Fama recens ſtreperâ reſonat per compita linguâ?
Indubiam non lucis inops, non indiga teſtis
Adſtruit ipſa fidem ſibi res. Hoc cardine, ternâ
Quo ſe iamdudum voluit trieteride, longis
Viſa priùs titubare malis, nunc publica tuto

Stat fortunâ loco. Dedit hoc, dedit vna ruinis
Hoc Rupella ſuis. Ferro quæ nuper & igni
Hinc propè ter ſenis vrbes Diſcordia luſtris
Miſcuerat, nunc fracta iacet, queritúrque, fremítque
Nil modò poſſe ſuas in pectora plebis echidnas,
Et populis ſontes incaſſum ventilat enſes.
Aſpice, dum ſtudiis mentes fera certat Erynnis
Vertere, pellacem recti mentita colorem,
Obſequij memores paſſim, fideíque tenaces,
Arma reluctantes damnata capeſſere ciues.
Aſpice Liligeræ reuerentem iura coronę,
Pendentémque tuis circùm de nutibus orbem,
Ingenti quacúmque pater circumfluus orbi
Nereus Europam liquidis complectitur vlnis,
Quæ tibi non victus faſces ſubmittat, amico
Vel properet iungi nexu; propè deficit hoſtis.
Iam ſibi congenerem Martis dediſcit amorem,
Et detrectatas toties regnantis habenas
Spontè ſubit verſis exuta Rebellio muris.
Iam patriis contentus agris timet Anglus in vnâ
Arce ſibi Rhæâ poſitas tranſcendere metas.
Bis malè tentatis iam bis deſiſtere cœptis
Iuſſus Iber, ſocióque ferox Germanus Ibero
Spreta diù Latiis venerantur Lilia campis.
Nec ſatis hæc; tumidi nimiùm, nimiúmque ſuperbi
Ecce Tagi fuluo renuens accedere ſceptro
Finitimas ſternit Rhenus tibi; FRANCIA, *ripas.*
Primáque bellacis pandit cunabula gentis.
Hoc facit externis longè tua dedita terris
Fama ſimul, cœlóque ſimul diffuſus ab alto.

Jn populos magnæ captos virtutis amore
Sceptra tenentis amor Domini; quo fortior alter
Hactenùs, aut pietate prior, vel amantior æqui
Non fuit, Arctois ex quo crinitus ab oris
Sequanicos ductor primùm transfuſus in agros
Borbonij gladio ſanxit fundamina ſceptri.
At Domini ſummum ſibi depoſcentibus auſis
Iure locum partes animo venientis in omnes
RICHELII *mens alta ſibi ſortita propinquum,*
Non leue conſiliis pondus, promptiſque ſubinde
Contulit obſequiis. Nec tu, ſe Regia quamuis
Aula vel innumero non mendax Neſtore iactet,
Maius habes rerum columénque decúſque tuarum.
Tanta fides, pietáſque Viro, prudentia tanta eſt,
Tantus amor patriæ! Nec, vbi res poſtulat, alti
Vis animi, damno maior quæ ſurgit ab ipſo,
Aut vrgentis abeſt domitrix conſtantia fati.
At tibi quid ſumptis interdum præſtet in armis,
Multa probat varias Regi quæſita per oras
Laurus, & auſpiciis victoria parta ſecundis.
Quid vetus hîc fracti iamdudum transfuga clauſtri
Cerberei diro ſpumam vomit ore furoris?
Non illi proprias linguæ quas prodigus artes
Exercet, falſis ſtruimus mendacia dictis,
Vanáque per falli dociles demittimus aures.
Ille niues, ventóſque nihil, nihil ignea Cancri
Tela, nihil montes, ſcopulóſve moratus, eunti,
Quò Dominum rebus ſors cúmque vocauit in arctis,
Adſtitit, & famulas partitus in omnia curas
Incumbénſque operi, nimiâ ſub mole labanti

Diuiſum molliuit onus. Sic robore notum
Dicitur Atlanti quondam Tirynthius heros
Suppoſuiſſe latus, feſſique leuaſſe laborem,
Quæ tulerat, domitis, meriturus ſidera, monſtris.
Nec trabeâ quamuis forſan renuente Quirinâ,
Ambigat incertæ vitam committere pugnæ,
Poſcit vbi Bellona manum, ſe ſéque ſub ictu
Suſcitat in mediis virtus animoſa periclis.
Vidimus; externo quoties ſocialia bello,
Aut conſanguineâ Mauors ciuilia dextrâ
Gæſa quatit, totíſque fremens vocat agmina campis;
Ille ſequi iuſſas Latio ſublimis in oſtro
Conſiliis acies latè moderatur & armis
Pallade conſpicuus gemina, magníque ſecundus
Arbiter imperij: cuius noctéſque, diéſque,
Sollicito grandem verſat ſub pectore molem,
Ardua ſortitus grauiorum pondera rerum.
Scilicet hinc primos iuueni properata per annos
Canities, maciéſque & toto corpore pallor;
Hinc fugiente diem concretus fomite morbus
Natales auidus latebras vitæque meatus
Claudit, non leuium merces damnoſa laborum,
Quos obiit ſomni benè vix memor ille, cibíque,
Singula dum ſtudio vigili, curáque fideli
Prouidus exequitur, Dominíque vicaria ceruix
Obruta ciuilis tandem poſt ſemina belli
Antiquas patriæ properat fulcire ruinas,
Atque nouam ſenio labefactis reddere formam.
Ingens, & mentis vix enodabile cuiquam
Haud mortalis opus, cui iam non vna laborat

Cum populis ætas ; atenim quid freta potentis
Præſidio Domini , non gentibus anxia præſtet
Sedulitas , & nota Viri ſolertia tanti?
Cui neque noſtra vident ſimilem , neque tarda videbunt
Sæcla parem. Miranda loquor ; ſed vera loquutum
Poſteritas ſeris ventura fatebitur annis ,
Eximij dotes Herois , & inclyta grato
Facta memor reputans animo. Quæ maxima nemo
Cùm neget , & nullis veterum non digna triumphis ,
His maiora tamen parat ; his maiora parantem
Exſtimulat iam partus honor , nullúmque recuſans
Laudis amor creſcentis onus. Fatalia vitæ
Dij modò dent placidis componere tempora luſtris ;
Ille ſibi conſtans , & factis æmulus ipſis
Ipſe ſuis , propriáſque vetans decreſcere laudes ,
Principis auſpicio magni , quæ dura negauit
Anteà , vel longo ſors pendula diſtulit æuo ,
Maturabit agens ſenſim , patriæque beatis
Sternet iter fatis , melioráque ſæcla retexet.
Intereà Regique ſimul regnóque , ſagacis
Acer inexhauſto , quo pollet , robore mentis
Conſulit , & gemini referans commercia mundi
Inuehit hùc totos pretioſis claſſibus Indos ;
Quáque potis , rebus patriæ ſuccurrit egenis.
Hoc iubet , hoc votis optat potioribus vnum
Afflictæ dudum miſerans incommoda gentis ,
Haud veterum cedens vlli LODOICVS *auorum :*
Nota renaſcentis toties diſpendia belli
Cognatæque vetant votis diſcordibus iræ.
Non animo tamen inceptum niſúque minori

Principis imperium, dēſideriúmque ſecutus
RICHELIVS, plebiſque pari ſuccenſus amore
Vrget opus; ſibi nocte vigil, ſibi feruidus inſtat
Luce; nec vlla perit tantis conatibus hora.
Fallor, an & peraget? peraget; licét ater in illum
Hinc tacitas odiis acuens feralibus iras
Liuor, & hinc rabido germana Calumnia morſu
Innocuam laceret Scaldis de littore vitam.
Illa quidem meritis non conſona gratia tantis;
Sed teneat rectum, quo cœpit tramite, curſum,
Quíque fuit primis, animus ſibi conſtet, in auſis;
Inuidiam tandem (longè venientia vates
Cernimus) inuidiam, & malè ſani lubrica vulgi
Murmura non longo victrix certamine virtus
Comprimet, ac linguas ſemel eluctata malignas
Debita præclaris referet præconia factis,
Et patriis toto Francis celebrabitur æuo.

IOANNIS SIRMONDI RVPELLA CAPTA.

Ad Eminentiſſimum ARMANDVM CARDINALEM RICHELIVM.

LIBER PRIMVS.

COERVLEI vitreis, nunc ô, de ſedibus antri
Exere pacatum, nunc exere, Sequana vultum;
Et dominæ muros quà præterlaberis aulæ,
Lætus ades, facilémque cauis de fluctibus aurem
Da pater, & vati plaudens aſſurge canenti.
Magna loquar, populiſque etiam celebranda futuris.
Illa diu patriis vrbs indignata teneri
Legibus, & domini placidum iam ſæpè proteruo
Eluctata iugum collo, ſubſternere muros
Juſſa ſuos, Regémque pati, dedit improba tandem,
Tandem criminibus dignas dedit improba pœnas.
Et meritò. Quis enim ciuilis ſemina belli

Hinc toties retrò lapſos impunè per annos
Emerſiſſe ferat? Non tot commotus arenas
Oceanus, regni fundo conuoluit ab imo,
Creber vbi raucis ſuperintonat Africus vndis;
Quot patrios ferro pariter, flammáque per agros
Exciuit grauidas odiis, damníſque procellas
Turba rebellatrix, Erebóque edocta magiſtro
Nectere bellorum cauſas, & iniqua nouatis
Arma remoliri titulis. Hinc neſcia iuſſo
Stare loco, placidis quoties Bellona quietem
Inuidit nimiam populis, voluítque furori
Indulgere ſuo, ſignum ferale cruentis
Suſtulit auſpiciis naſcens: hinc omine læuo
Erupit, quæcumque nouos induta colores
Seditio, noſtris deſæuiit hactenus oris.
Ecquid enim Druydum dictos de nomine campos,
(Vt ſileam reliquas, faſtis quas tradita pugnas,
Fama tenet, narrátque memor,) quid ciuibus vrbes
Exhauſtas, quid rura ſuis orbata colonis,
Euerſáſque arces referam, diſiectáque templa,
Et patriæ longum per tot diſcrimina funus?
Ancipiti quicquid pridem labefacta tumultu
Aut denis tulit, aut patitur iam Gallia, luſtris,
Vnius eſt crimen populi. Nec longa prioris,
Quæ meminiſſe piget, monumenta retexere ſecli
Nunc opus. Haud alio nuper profluxit ab ortu
Quæ modò ſanguineis tempeſtas vndique nimbis
Detonuit, miſtáſque dedit cum ſtrage ruinas.
Scilicet hanc nulli docilis ſubmittere faſces
Imperio, & ſociis nimiùm confiſa Britannis

In caput auerſis ſibi gens ſuperintulit auſis.
Longa rei ſeries, varióque operoſa labore;
Tota laceſſitis ſedenim dare carbaſa ventis
Suadet Hyantæi quando calor entheus œſtri,
Et victoris amor Domini; iuuat auſpice Phœbo,
Quà licet, infandi cunas euoluere belli,
Et priùs occultas ab origine pandere cauſas.
QVA *modico ratibus fidum ſinuamine portum*
Opponit refluo bellax RVPELLA *profundo,*
Lætáque longinquis ſociat commercia terris;
Dicitur obſcuri ſedem fixiſſe ſub antri
Faucibus, & populos illinc ſerpigine lentâ
Inficiens, toto virus diffundere regno
Hæreſis, inferni ſoboles poſtrema tyranni.
Hæc illi domus, & damni creſcentis origo.
Antè fores denſis glans ænea ſurgit aceruis,
Sulphuráque admotas auidè rapientia flammas,
Et caua fulmineis tormenta tonantia bombis,
Haſtæque, gladiíque, & rauco concita neruo
Spicula, non vno gaudentis vulnere Martis
Dira ſeges. Tum longo intùs ſtant agmine circùm
Tænarei fœdo peſtes de ſemine Ditis
Innumeræ; ſæui conſors Diſcordia belli,
Cognatíque ſitim Rabies confeſſa cruoris,
Et pugnæ cupidas vrgens dux Impetus iras;
Quáque rapit prauæ celerem vis concita mentis,
Protinùs excuſſo ruitura Licentia fræno,
Indomitúmque Nefas, ſempérque nocentibus armis
Succinctus Furor, & legum contempta Poteſtas.
Terroríſque ſibi vanas affingere ſolers

Suſpicio cauſas, centum cui mobilis aures
Surrigit, & partes animum diducit in omnes
Ambiguis Rumor volitans per compita pennis.
Nec procul his, diro tumefactus colla veneno
Liuor, & vnde priùs nimiis ſemel excidit auſis,
Sidereum fruſtrà pulſans iam vertice cælum
Ambitio, gaudénſque ſonoro Gloria plauſu,
Ventosóque grauis quæ folle Superbia turget,
Oblitúſque hominem Faſtus, reſidémque Voluptas
Enerui torpore diem per mollia ducens
Otia, non vno Circe metuenda veneno:
Et furtiua Venus, nullíque impunè fatendis
Ægra coquens veſanus Amor præcordia flammis.
Et Leuitas animi pendens, & conſcius Horror
Criminis, irrequietus agens, trepidámque flagellis
Eumenidum, ſomni quatiens per tempora, mentem.
Hæc nullas ſortita vices, examine feruet
Turba vago, flexúque ſibi variante recurrit:
At dominæ certa propiùs ſtatione miniſtrant
Jllicibus Nouitas oculis, cui dædala vultum
Componunt vario circùm Mendacia fuco;
Quíque leuem falſis, nimiùm ſibi credulus Error,
Ludit imaginibus mentem, Fideíque ſolutâ
Compede, venantem nebulas & inania ſenſum
Prodigiis, veríque fugacibus implicat vmbris.
Illa renidenti pellax venientibus ore
Blanditur, risúque decens gratatur amœno:
Hic aditum, primæque tenet decliuia portæ
Limina, perplexóque gradum per deuia flexu
Huc illuc ſinuans, numeroſo tramite curuos

Circinat amfractus, ſe ſéque refundit eundo.
Hæc inter diris informia monſtra figuris,
Tartareas nigrâ ſata Nocte virago ſub vmbras
Regnat ouans, ſortémque datæ ſibi temperat aulæ.
Ergò vices rerum memori dum pectore verſans
Ancipites, vario curarum fluctuat æſtu,
Et furor hinc agit incertam, metus inde coërcet,
Ecce ſub aërias, Erebi de ſedibus, auras
Vipereo fera Tiſiphone ſuccincta flagello
Emicat, & dictis ſociam furialibus vrgens,
Infando tales rumpit de pectore voces.
Et dubitabis adhuc demens, dubitabis inertes
Rumpere lenta moras, & aperta laceſſere bella?
Heu! quinam tantus vinxit præcordia torpor?
Magnus in exitium ſtudiis coniurat iniquis
Vnanimi cum matre tuum, tacitíſque latenter
Conſiliis id agit Princeps, vt ſera nepotum
Sæcula, te ſolo quondam de funere norint:
Hoc indefeſſo noctéſque, diéſque labore,
Ille, ſui quicum partitur pondera ſceptri,
RICHELIVS, *tibi Romuleâ fatalis abollâ,*
Mox erupturis ſtruit impiger vndique cœptis.
Tu verſam inſolito mentem reſoluta veterno
Nec noua moliris dudum, nec, inertibus hærens
Conſiliis, Orco dignos patre concipis auſus;
Sed ſteriles tantùm, caſſa inter vota, labores
Imbellis, fremitúque minas extendis inani;
Atque tibi de tot proauûm præſtantibus actis,
Dos ſupereſt nunc vna, queri. Sic excidis ipſi
Ipſa tibi? populíſque futuri decoquis æui?

Non ita, cùm validæ ſtimulos ſub flore iuuentæ
Caluini medio nuper de vertice natus
Subiiceret Deus, & mortalia pectora mulcens
Iucundæ nouitatis amor. Tunc noſtra tueri
Orgia, tunc fidei metas proferre recentis,
Tunc pompis delubra ſacris, votíſque parentum
Inclyta, cúmque ſuis ipſas cultoribus aras
Vertere, tunc putri cineres pietate verendos,
Quos turbæ tractaſſe nefas, per littora ſæuis
Fluctibus, & rapidis ludibria ſpargere ventis,
Ardor erat. Triplicis conuellere iura tiaræ,
Atque rudes æui ritus abolere prioris,
Nec voti immemores, nec egentes laudis alumni,
Tendebant pariter, paritérque micantia totos,
Cùm furor impulerat, tollebant ſigna per agros,
Vel dominis metuenda ſuis. Non credita ſummum
Majeſtas præferre Deum, non iura, fidéſque,
Nota quidem, toto ſed inania nomina mundo,
Aut legum metus, aut ſacri reuerentia ſceptri,
In cædem, prædámque acies tenuere ruentes.
Tantus amor vetito laudem ſibi quærere ferro!
Hactenus hæc; at vbi cœptis quæ fortibus olim
Omnia miſcebat, rerum non lenta nouatrix
Relligio, ſeclo tandem vertente fatiſcens,
Et parui ſecura gregis, iam vincere feſſos
Legibus implicuit gladios; tum decolor artes
Exuit antiquas, ſtudiíſque recentibus ætas
Incubuit; crudi tum mobilis illa reſedit,
Quâ tu bella priùs, quâ tu priùs arma ciebas,
Vis animi. Mox pacis amor, mox pacis amori

Indulgens nimiùm torpor, ſubrepſit inertes
Inter opes, ſomno populis, luxúque ſolutis,
Et ſolitæ pridem mentes virtutis inanes
Pinguia ſecuræ deflexit ad otia vitæ.
Ex illo, iam partus honos, famæque prioris
Sublapſus decreuit apex, & fauerat auſis
Quæ prior æqua tuis, celeri fugitiua regreſſu
Diffluxit, retróque procul veſtigia torſit,
Ignauis Fortuna negans ſubſcribere votis.
Hoſtibus at contrà longis exercita curis
Creuit, & à damnis vires ſolertia ſumpſit,
Nunc ſpoliis animoſa tuis. Neu parua monere
Arguar, & vanis terpidam verſare querelis;
Hinc animo regni ſpatium metire patentis,
Addictáſque priùs ſectæ circumſpice terras;
Altera iam periit, tibi iam pars altera nutat.
Cernis? & ille prius Superis ac Regibus enſis
Cognitus, informi nondum rubigine Martem
Emeritum reuocat pulsâ, ſéque expedit vltro?
Si qua tibi laudis, ſi qua eſt tibi cura ſalutis,
Excute degenerem nimiùm conſtantis amorem
Pacis, & ad veteres referens te protinùs artes,
Necte dolos armis, & te ſemel vtere totâ.
Aude aliquid vægrande, atrox, quod ſera laboret
Credere poſteritas, geminúſque exhorreat orbis.
Ingentes animos rarò fortuna caducis
Deſtituit votis, & vbi ſpes nulla relicta eſt,
Ipſa ſibi fatum gladio facit auſpice virtus.
Sunt populi tibi, ſunt vires, ſunt peruia ſolis
Fulminibus, belliqúe moras tractura decennis

Oppida ; nec , voto ſi fœdera ſupplice poſcas ,
Qui trepidam præſens iuuet auxiliaribus armis ,
Defuerit ſociâ miles venturus ab Vrsâ.
Quà dominam pulcher Tameſis præterfluit vrbem ,
Rex patriâ tua ſacra fouens adoleſcit in aulâ ,
Littoreis ſolium triplex complexus habenis :
Ille Palatini iam deficientia Rheni
Agmina , conſortis ſupplebit robore pubis ,
Subſidium , rebúſque ferens ſolamen in arctis.
Ac ſi quid fax iſta poteſt , ſontéſque chelydri ,
Ipſa tuas olim foui quæ conſcia cunas ,
Saxonico frontem piceam velata cucullo ,
Creſcentémque alui nutrix , feſſámque periclis
Non ſemel explicui mediis , retulíque iacentem
In melius , nunc ecce tuos ſubitura maniplos
Ipſa adero , totáſque effundam in vota ſorores ,
Et conſanguinei populus tibi ſeruiet Orci.
Dixit , & implexos vellens à crinibus hydros ,
Nigrantique rotans fumantem ſulphure tædam ,
Concita terrifico Diræ præcordia thyrſo
Perculit , & Stygiis ſtridens ſe reddidit vmbris.
Intremuit latè circùm omnis , & acta repentè
Diſſiliit tellus , totóque exterrita ponto
Æquoreos Doris vicina refugit ad Anglos.
Extemplò commoti animi , trucibúſque nefandæ
Mentibus ignefcunt furiæ ; fremit intùs ahenis
Belli durus amor ſtimulis , & vota fatigans
Noxia , concuſſis raptim ſe ſuſcitat armis.
Sic aliquem ſi vere nouo per opaca vagantem
Rura , veneniferæ morſus deprendit echidnæ ,

Tabi-

Tabificâ carpens paulatim viſcera flammâ,
Serpit edax peſtis, labefactíſque hauſta medullis
Vitales animæ latebras ſcrutatur, & actas
In rabiem ſpumis albentibus egerit iras.
Prima luem, ſæuúmque trahit non lenta calorem,
Et nocitura mali fouet incrementa futuri,
Segregis vrbs princeps populi, quæ littoris auſa
Santonici votis regnum tentare ſuperbis
Iamdudum, ſumptóque iugum dediſcere ſceptro.
Tum riguo Tarni prætextum limite Montem
Albanum peruadit idem, Látiíſque Nemauſum
Ruderibus claram, celerem furor actus in orbem,
Et cæco inuoluit rapidæ vertiginis æſtu.
His aliæ atque aliæ, ſtudiis gliſcentibus, vrbes
Accedunt, varias quacumque refuſus in oras,
Enſe probans cælum, fidei per inhoſpita veræ
Pectora, iam factis inoleuit partibus, error.
Sic vbi cognatum ſecreto fœdere magnes
Herculeus rapuit ferrum; vis illita ferro
Se parili ſimul exſinuans virtute, receptum
In noua transfundit tactu miracula donum.
At dubiis dùm nutat adhuc pars maxima cœptis;
RVPELLÆ *procul ecce dedit de vertice ſignum,*
Vndique vallatis confiſa Rebellio muris.
Hinc pacis decreſcit honos; hinc neſcia recti,
Et poſitos rabies frænos exuta, ſupinis
Legibus inſultat frendens, iráſque profeſſis
Sæua recrudeſcit gladiis; mens ſola nocendi
Fit magni titulus pariter, ſtimulúſque furoris,
Ac ſceleris pretium ſcelus eſt. Sed rebus amicam

Qui ſponderet opem fluxis, cauſámque labantem
Fulciret, quærendus erat: Nec fœderis auſpex
Defuit infandi. Primo vix tertia cœlo
Fraternis auctum radiis depleuerat orbem
Cynthia, cùm ſocias iungens in prœlia dextras,
Criminis in partem venit, & de littore ſoluens
Tota ſuperſtrato ratibus natat Anglia ponto.
Sic vbi cana gelu Zephyri genialibus auris
Ceſſit hyems, lætique redux cum floribus anni
Naturæ laſciuit amor; volat æquore toto
Alituum peregrina cohors, & remige pennâ,
Trans mare quæſitis allabitur aduena ripis.
It pelago nemus arma ferens, tonsóque laceſſit
Vertice pellentem Borean; ſtupefactus, eunti
Mole fatiſcentes nimiâ vix ſufficit vndas
Nereus, aut velis conſumptas Æolus auras.
Nec mora; quà modici diſtermina gurgite ponti
Fertile littoreis gremium Rea conſerit vndis,
Iam medios vento fluctus emenſa ſecundo
Improuiſa ruit, terræque aduertit aduncam
Hinc atque hinc magno claſſis molimine proram,
Et portum curuo mordax terit anchora roſtro.
Aduentus dant ſigna tubæ; tonat ænea longè
Machina, diſploſáſque vomens per inania flammas,
Aërium metatur iter, Martíque futuro
Fulmine prælud it bruto: quatit aurea miſtus
Aſtra ſonus, pulſæ reſponſant vndique ripæ.
At dubias Echo, dum per confuſa recurſu
Multiplici, ſparſímque cadentia diuidit aures.
Murmura, quídve priùs referat ſuſpenſa requirit,

Ipſa ſibi mediis perit indiſtincta ſub antris.
Intereà magnam ſubitus perfertur ad vrbem
Nuntius, Arctoos latè ſocialibus Anglos
Sollicitare fretum velis, terráque potitos
Proxima iam poſitis populari littora caſtris;
Et modicam ſolâ virtute tuentibus arcem
Infandum noſtris lethum, excidiúmque minari.
Ilicèt attonitis factum indignatus iniquum
Ciuibus inſurgit dolor, & turgentia gliſcens
Sollicitis ardor ſubigit præcordia curis.
At REGI*, multâ cui tum flammantia bile*
Viſcera, ſuccenſáſque Leonis ſidere venas,
Alternis in ſe vicibus per certa recurrens
Interualla, æſtu febris carpebat anhelo,
Ipſa ſui vindex, bellóque impunè laceſſi
Neſcia, vim morbi virtus luctatur iniqui,
Vltorémque acuit Martem: iam viribus inſtat
Ipſe ſuis, iam poſcit equum, iam feruidus enſem
Poſcit, & abſentem votis adſurgit in hoſtem,
Venturæque minax exultat imagine pugnæ.
Quod neque belligeris Germania fœta maniplis,
Nec venata nouos auderet Iberia mundos,
Id paruæ, & ſolis fidenti mœnibus vrbi,
Nílque Ducis præter titulos, & nomen habenti
Semiuiro, licuiſſe pudet: pudor addit acerbos
Vindictæ ſtimulos, generoſáſque aſperat iras.
Ac prior in belli ſocios, ſceleríſque Britannos
Impetus ire fuit, ſontémque exſcindere gentem.
At potior ſedit tandem ſententia menti,
Tè fontem, cauſámque mali, RVPELLA*, vocatis,*

Vt decet in partes Superis, à culmine verſam
Funditùs, excidio tandem cumulare ſupremo.
O meritas ſcelerum pœnas luitura priorum!
Quis tibi, quis cœco mentem rapit impete, fræni
Indocilis, nullâque furor tractabilis arte?
Vna illa es, multos dudum quæ ſueta per annos
Implicitas ferro per mutua vincula turbas
In vulgus ſerere, & recidiuis bella paciſci
Annua conciliis, regni ſolemnia damna.
Criminis antiquum crimen gradus eſſe recentis
Pergit, & à veniâ titulum ſibi præſtruit ipsâ.
Hæc aliquis forſan gentis de ſtirpe ſecundæ,
Cui titulus tantùm, regníque precarius olim
Vſus erat, patiatur iners; non ille, daturus
Qui domitis leges populis, aſſurgit auitum
In decus, & nullo claudi ſe limite paſſus,
Iam ſibi promiſſas mundi depoſcit habenas.
Et iugulo viden' vt nunc regius enſis aperto
Immineat, validíque incumbat pondere ſceptri?
Aſpice (námque potes ſummæ de vertice turris)
Aſpice criſpatis per agros vndantia ſignis
Agmina, conſertóque micantes ære phalanges,
Quas Cereris per damna, racemiferíque Lyæi,
Mœnia verſuræ iuſſit præludere dextræ,
Impatiens Martem Iuuenis differre paratum;
Dum tolerare viæ durum, bellíque laborem
Temperies anni ſinat, & vis reddita membris.
Ille ferens cædem nimbus, ſtragémque cruentam,
Plumbea ſulphureo mox fulmina depluet imbre.
Hinc tibi, (ni damno ſupplex occurris eunti,

Sacráque placatæ procumbis ad oſcula dextræ,)
Flebilis hinc, nullóque vnquam reparabilis æuo,
Ingruit extremam clades tractura ruinam.
Neu tu fide mari; mare iam tibi ſubtrahet ingens
Limite tranſuerſo moles, vitæque ferentem
Subſidium, duris Anglum frænabit hab nis.
Ille quidem minitans procul, & lunaria magni
Jncrementa freti captans, ventóſque ferentes,
Obiice perplexum multo, diſcludere multo
Jgne parabit iter; tenues ſed caſſus in auras
Diffluet, & vanis labor excidet irritus auſis.
Quare age; ſed qnid ego non proficientia perdo
Verba monens? rapidis iactat mea dicta procellis
Extremi metas vrgens plebs noxia fati.
Ergò vbi conceptus fibris deferbuit ardor,
Inque leues ceſſit paulatim euanidus auras;
Vindice ſubnixus ferro, fretúſque ſecundis
Cœlicolûm auſpiciis, rerum quò lapſa vocabant
Culmina, præcipiti mox aduolat agmine Princeps,
Fulminei rapidâ teli velocior alâ.
Plurimus in vultu Mauors; in caſſide, pennis
Diſcolor vndat apex tremulis, circúmque refuſas
Ventilat, & fluctu pendente reciprocat vmbras,
Huc illuc capiti incumbens; ceu laurea vernis
Silua comis, dubio cui mobilis aura ſuſurro
Alludit, criſpátque natantes vertice frondes.
Innumeris fulget paſſim diſtincta pyropis
Artis opus lorica nouæ, Solique, refuſo
Lumine, non vnum reddit per inania Solem.
In medio, veterum numeroſa trophæa parentum,

Mulciberi cælata manu; miratur, & ipſis
Quas dedit, inſiſtens hæret Victoria palmis.
Threiciæ quondam fracturus cornua Lunæ
Dependet lateri gladius, quem diuite nexu
Subligat intexto præſignis baltheus auro.
Talibus egregium donis prognatus Ibero
Semine portat equus; cui frontem congener albis
Stella notat maculis, & pugnæ conſcius ardor
Natiuas acuit lætis hinnitibus iras.
Talis, magnanimi prolês animoſa Pipini,
Carolus, indociles fræni, iuſtóque negantes
Saxonas obſequium domino, felicibus olim
Contudit auſpicis vltor, victóſque repreſſit.
Talis Idumęas ſtimulante profectus ad oras
Numine, bis ſacris fulſit metuendus in armis,
Regnantis Lodoicus apex, & gloria gentis,
Quem ſua promerito virtus tranſcripſit Olympo
Indigetem, patriis ſidus venerabile terris.
Nec fuit inuicti cultúſque, habitúſque parentis
Diſſimilis, duro fractos cùm Marte rebelles
Funderet, aut ſpatiis clauſos vrgeret iniquis.
Quà graditur, totis paſſim pubentia campis
Subſternunt niueos domino ſua Lilia culmos;
Móxque comam circùm, & frontem victoris ituras
Borboniæ properant lauri diffundere baccas.
Ponè ſubit, ſocióque premit veſtigia greſſu,
Quæ bis ab octonis repetit cunabula ſeclis,
Nulláque Romani patitur diſcrimina cultus
Relligio, totóque Fides ſibi conſona mundo,
Et Pietas vdum tollens ad ſidera vultum;

Et natalitij librans regalia ſigni
Pondera, felicis certiſſima pignora ſceptri,
Alma Themis; cui ſe propior componit eunti
Fræna gerens, gentiſque graues Rhamnuſia faſtus
Impoſito preſſura iugo, ſoliſque tremendus
Sontibus, & ſtrepitu quamquam terat arua ſonanti,
Tunc placidus tamen, & mediis quoque iuſſus in armis
Ponere iura ſibi Furor, & Vindicta cruento
Enſe minax, lætique comes Sors proſpera fati;
Et iam certa ſui, palmáſque datura recentes,
Cœlicolis gratæ fautrix Victoria cauſæ.
Iámque iter emenſus longum, caſtríſque receptus
Milite ſtipatos denſo, certóque tributos
Ordine luſtrat ouans cuneos, numerúmque recenſet
Prouidus, & ſummi partes non ſegniter implet
Ductoris, præſenſque animos ac pectora firmat.
Læta duci feſtos acies circumſona plauſus
Tollit, & à vultu fatum ſibi ducit amico.
Quem duro priùs audierant decumbere morbo,
Cernere iamdudum cupidis, pro munere magno
Incolumem vidiſſe fuit. Iam capta videtur,
Aut iam poſſe capi, fauſto quam ſidere Princeps
Editus, & cunis iam vincere ſuetus ab ipſis,
Oppugnare parat, Diis impellentibus, vrbem.
Martius hinc lætis calor, & vis ignea paſſim
Mentibus, atque ſui gliſcit fiducia cœpti.
Qualis ad obſeſſæ iam ſe modò faſſus Achilles
Procubitura ſibi venit cùm mœnia Troiæ:
Et decus, & primis robur iuuenile ſub annis
Argiuûm mirata manus, fataliáque arma,

Lætitiâ Heroem magnâ, & clamore ſecundo
Excipit, & non iam dubiis hoc pignore votis
Prævia ſperatæ delibat gaudia palmæ.

RVPELLA CAPTA:

LIBER SECVNDVS.

AT fati concuſſa metu RVPELLA *propinqui*
Intremuit, veteríſque minas ponentia faſtus
Tunc primùm trepidis nutarunt culmina muris.
Egelidus mixto tremor it ſudore per artus
Hoſtibus, & pulſæ ſaliunt ſub pectore venæ;
Ignotúſque diu, propioris imagine damni
Corda ſubit timor, & quamquam ſe prodere verbis,
Deprendíque pudet, lethi tamen ore colorem
Inuitus rapit, & mentem pallore fatetur.
Huic patrij, ſua regna, lares, & dulcia vitæ
Pignora, cum natis vxor, ſeriéſque nepotum
Succurrunt, captáque ſibi facturus in vrbe
Ius gladio victor, & plurima cladis imago.
Illi, quam meruit non vno crimine, pœnæ,
Eſt pœna metus ipſe, loco, ſontíque recurſat
Perrumpens tacitè mentem cum iudice tortor.

Non

Non aliter, longo ſecuit cùm nubila tractu
Flammeus, & ſparſo metuendus crine Cometes;
Horreſcunt latè agricolæ, pauidæque tremiſcunt
Cum populis vrbes, & quas incumbere mundo
Proſpiciunt, ſibi quiſque timet, ſobolíque ruinas.
Hæc inter, diris Regem per compita verbis
Deuouet, & quem tum metuit ſuprema minantem,
Fas odiſſe putat, cæco gens acta furore.
Jlle nihil rabidæ cunctatus ſpicula linguæ,
Non longè poſiti ſtetit altus vertice collis.
Inde ſitum, multóque aditus munimine ſeptos,
Intento propior viſu legit, atque locorum
Ingenium explorat ſolers, intrátque tuendo
Vrbem omnem, paritérque aciem per ſingula voluens,
Tot iuſtæ cauſas iræ, quot ſurgere turres,
Cernit, & indomitos faſtus, noxáſque rebelles,
Infrænîſque minas populi, furialiáque auſa,
Multa putans, oculis animum prodentibus haurit.
Ciuica præcipuus ſtupor ad tutamina verſus,
Dira renaſcentis toties cunabula belli.
Perpetuis latè ſurgunt horrentia pinnis
Mœnia, turritóque laceſſunt culmine cælum.
Hinc atque hinc valido ſtant propugnacula ſaxo,
Forcipis, aut mediæ ſpeciem referentia Lunæ.
Præcipites circùm foſſæ ſuccedere muro
Admiſſis prohibent vndis: pars maxima ſolo
Tuta ſitu eſt; campos ſtagnans oblimat inertes
Eluuies vaſtis tantùm opportuna ſalinis;
Tranſmittique negans, greſſum malefida tenaci
Jmplicat hærentem cœno, atque vligine pingui.

Cætera, quà pluuios geminis vrbs turribus Auſtros
Excipit, alterno remeans interfluit æſtu
Neptunus pater, & venientem ſubmouet hoſtem.
Phœniſſæ ſtudio quondam ſi mœnia gentes
Certaſſent fundare pari; quæ limite cœptos
Exiguo, ſparſit toto mox orbe triumphos,
Hæſiſſet Tyriis Pellæa ſuperbia muris.
At Cyclopæo quamuis munita labore
Confidat pelago multùm RVPELLA *propinquo;*
Feſſa tamen, fruſtráque diù luctata prementis
Imperium, domino non conceſſura minori,
Concedet, LODOICE, *tibi, pronóque reclinis*
Vertice, te poſitis tandem venerabitur armis.
Tu modò vicinis vltor de finibus Anglos
Pelle priùs, verſíſque iube dare lintea ventis.
Vix vllam iam ferre moram, morbóque, faméque
Victa poteſt, extrema Reæ quæ littora ſeruat
Parua manus: lapſis ſedenim ſolatia rebus,
Dum loquor, ecce ruunt pelago, terræque propinquant,
Non expectatæ properatâ claſſe cateruæ.
Iámque volat campo miles tranſuectus aperto,
Atque repentinis hoſti ſuperimminet armis.
Ille fugam lento ceſſim per deuia paſſu
Inſtruit in pugnæ ſpeciem, preſſóque recedit
Agmine cunctanti ſimilis; pede feruidus vrget
Vndique, terga premens Gallus, carptímque maniplos
Vellicat extremos, donec propè victa pudore
Subſtitit, & iuſſos ſe ſe collegit in orbes
Clade ſuâ noſtros acies auctura triumphos.
Eſt locus, exſtructo quà circumfuſa domatur

Aggere, non alibi preſſæ veſtigia plantæ
Admiſſura palus; huc toto pondere vergens
Incubuit ſæua tempeſtas horrida pugnæ.
Quà datus excurrit limes; ſtat ferrea belli
Silua, ſegéſque ferax mortis; procul ære coruſco
Omnis inardeſcit Solis ſub lumine tellus;
Et tremulâ circùm radiantis imagine Martis
Fluctuat Oceani tunc concolor vnda propinqui.
Concurrunt geminæ lunatis robora gentis
Frontibus; impulſu volat eminùs acta ſonanti
Multiplicem ſparſura necem, densóque recurrens
Turbine, per medias grando furit ænea turmas.
Alternat Bellona vices, & mutua ferro
Damna ferit, cædémque ſibi pro cæde rependit.
Par cuneis ardor miſtis; ſternúntque, cadúntque
Vincentes, victíque ſimul; pars nulla pericli
Parte vacat; nutant acies; conſurgit vtrimque
Sternentum clamor pariter, paritérque cadentum;
Aſſenſu valles dubio, colléſque reſultant.
Haud ſecùs aduerſi quàm cùm de cardine mundi,
Hinc Boreas, ſtreperis illinc ſuperingruit alis
Auſter, agens pluuiâ fœtas, tonitrúque procellas:
It cælo fragor, ingenti ſibi diſſilit aër
Murmure, dant rupes longè, dant concaua longè
Littora, dant maria alta ſonum, totúſque remugit
Vix benè, vix geminis vnus par hoſtibus orbis.
Puluereo ſurgit glomerata volumine nubes
Flabilis, & rapido circùm per inane rotatu
Acta volans, nimbo Solem ſubtexit opaco.
Gallica ſed dubiæ tandem diſcrimina ſortis

Explicat ingeminans virtus, & euntia vindex
Diſſipat, ac retrò verſis quatit agmina ſignis.
Fit via vi; numero paſſim rareſcit hianti
Anglorum manus, & tabulatum ſtrage ſuorum
Anguſtat fugiens pontem; natat vndique cædes,
Deſuetúmque bibit tellus madefacta cruorem.
Quot gelidæ primo quondam ſub limine brumæ,
Cùm ſiluas diſtringit hiems, cognata relinquunt
Brachia, materno lapſæ de vertice frondes;
Tot rapido ſæui correpti turbine Martis
Æquoreas, equitéſque ſimul, peditéſque, per oras,
Non procul à patriis hoſti periere carinis.
Atque aliquis multo tinxit quam ſanguine terram
Deteſtatus, ait moriens; quid cladibus olim
Paſceris ô, per tot iam pridem funera, noſtris,
Heu! nimiùm flauis tellus infauſta Britannis?
Dixit, & addenti, vel dictis plura paranti.
Addere, vox gemitu cadit intercepta ſupremo.
Quæ ſibi, victorem fallens, pede turba fugaci
Conſuluit, partem vicini littoris æſtus
Sorbuit, ignoto partem per cærula fato,
Hoſpes Aremoricis illiſit fluctus arenis.
Proxima ſollicitum, pulſo feliciter Anglo,
Cura ſubit Regem, circumuallare frequenti
Vndique caſtello, tutis quæ mœnibus omnem
Vim procul vrbs, fidíſque dolum cuſtodibus arcet:
Optati quò ſubſidij, effugiíve patentis
Spem reliquam tollat clauſis, aditúſque nocendi;
Tramite ſi cæco, per opaca ſilentia noctis,
Excurſus tentare datos fòrs ſuaſerit iras

Succendens ieiuna fames, & turbidus ardor.
Namque licèt ſubitis præceps ebulliat auſis
Impetus, & ſolo iubeat decernere ferro;
At potiùs lentæ paucos factura nocentes
Tædia ferre moræ viſum eſt, quàm ſanguine multo
Vltrices fœdare manus, dubióque paciſci
Exitio, celerem properati Martis honorem.
Ergò locum ſortita ſuum, vel ceſpite, crudæ
Vel cumulo terræ, vel, vbi res poſcere viſa eſt,
Crebra ſubaggeſto ſtruitur loricula ſaxo.
Tum crebrâ ſtatione ſimul, ſimul vndique denſo
Milite vallatas, foſſis communibus omnes
Linea committit, nouies complexa capaci
Millenos gyro paſſus, longóque per orbem
Circumducta ſuum flexu, vix aëris vſum
Ciuibus, & fluidæ laxat commercia linguæ.
Reſtabat pelagus; pelagi qui protinus omnem
Intercludat opem, cœptis audacibus agger
Ducitur, alternis patitur dum peruius horis
Arte laborantum ſubigi, nec iuſſa recuſat
Vincla ſinus. Quod nos oculis vix credimus ipſis,
Auribus acceptum, fieri potuiſſe negabit
Adueniens luſtris olim vertentibus ætas
Poſtera; nec tantum verbis æquare laborem
Sit procliue mihi; tenui, per culmina rerum,
Vt memorem ſubeunt mentem, decurrere verſu
Sufficiet. Geminâ propior quà ſurgit ab actâ,
It cæmentitio noua per fundamina ſulco
In mare procurrens, farcti temeraria ſaxi
Congeries, ſpatióque vadum diſcriminat æquo.

Maceriam ſuperimpoſitus loricat vtrimque
Calce lapis multâ, nucleóque ſtatuminat apto,
Structilis in ſpeciem cliui: decreſcit eundo,
Caſtigánſque leui murus faſtigia ductu,
Aſcenſum pelago facilem reclinat ituro.
At medium via quà ſpatio diducta relicto
Interuallat opus; multo depreſſa labore
Subſidit, ſcopulíque vicem ſortita nocentis,
Plurima ſe, fundo ratis interfuſa vadoſo,
Porrigit in latas, ſubſtrata pericula, chelas.
Tutiùs infames remeanti gurgite Syrtes,
Tutiùs Oebaliæ tranentur ſaxa Maleæ.
Prætereà, totum conſertis puppibus æquor
Nexilis obtendit ſilua, & religata quaterno
Fune, catenati fluitat per marmora ponti.
Aggeris hæc dorſum magni poſtrema tuetur;
Vincla tegit frontem tranſuerſis ſublica tignis,
Et fiſtucato reduces terit obiice fluctus,
Incurſúſque freti primos. Tot ſurgere clauſtra
Miratur refluens, & gurgite turbidus hæret
Vndipotens; fractíſque ſibi decreſcere regnum
Indignatus aquis, magno ſtridore morantes
Increpat, & totas violentior aduocat iras.
Iuſſerat; ingeminant, decimíque voluminis auctu
In montem adſurgunt fluctus; ruit impete vaſto
Crebreſcens, gyróſque ſonans rotat vnda ſequaces,
Et celeri raptas vertigine torquet arenas.
Tum freta laxatis vbi concita vidit habenis;
Quantus erat, Teucri partem cùm littoris olim
Abſcidit ingentem, Tenedon, Latióve refixum

Limite, diuiduis Siculum latus ambiit vlnis;
Tantus in obiectum contorto vortice murum
Adſurgit, rapidiſque fremens inſultibus, arcti
Rimatur compagem operis, nexúſque latentes
Molitur, luſtrátque aditus, ſi fortè viam vis
Inueniat liquidam victrix. Stetit obuia contrà
Pondere nixa ſuo moles, & inania rauci
Murmura deſpiciens pelagi, ſubeuntia portum
Carbaſa torquet agens retrò, laterique minantem
Oceanum vallo ſurgens diſterminat alto.
Attoniti cadit ira freti; ſpumantia verſis
Marmora ſubſidunt cumulis, poſitóque tridente,
Nereus illiſâ refugum caput obruit algâ.
Tum verò ante oculos nigro feralis amictu
Conſtitit, & totâ obſeſſis mors ingruit vmbrâ.
At ſibi non vanis exercitus iſſe laborem
Auſpiciis gaudet, duráque indagine clauſos,
Quos non enſe licet, minitans premit ore rebelles.
Qualis apros, actóſve ſuis cum matribus vrſos,
In ſua de patriis flexit cùm retia dumis
Venator; textóque furentes carcere clauſit:
Circumſtans vacuos exercet in aëre rictus,
Latratúque auras, & confraga teſqua fatigat
Turba canum, prædæque inſtat, dominique morantis
Luctatur profugo retinacula demere collo.
Talis in aduerſi prætenta repagula muri
Impatiens fremit, & pugnæ ſuccenſus amore,
Sæpè laceſſitum fruſtrà, vallóque teneri
Gaudentem, vaſtis vltrò clamoribus hoſtem
Vrget, & horrificis miles circumſonat armis,

Incluſíque metu fruitur. Silet ille, ſuíſque
Turribus inuoluit ſe ſe: ſpes omnis in vno
Vertitur auxilium procul oſtentante Britanno.
Iámque redux ferrúmque ſimul flammámque Britannus
Fert medio rurſus pelago, rurſúſque natantes,
Santonicum per littus agit iam proximus, arces.
Agnoſcit procul, & venientis ſupparа gentis
Arce vocans ſumma, portus inuitat amici
Allabi gremio, gemináſque ad littora tendit
Vrbs cum voce manus ſupplex: negat aduena, vento
Quamquam freta ſuo, clauſi tentare profundi
Difficiles aditus, & inextricabile damnum
Æquoreæ claſſis fugiens diſcrimina pugnæ,
Luctantéſque famem ſocios ſpe paſcit inani.
Amfractu vario, vario quoque fulmine belli
Septa loci terret facies; pugnátque recentis
In damni memores, ſtragis funeſta Reanæ,
Attonitis præſens quæ mentibus hæret, imago.
Ne vanos deluſa tamen RVPELLA *paratus*
Obiiciat, ſteriléſque minas, & inertia vela;
Ad noua conuerſi properè tentamina, puppes,
Et pice viuaces, multóque bitumine tædas
Puppibus expediunt, noxíſque meantibus Angli
Oceanum ſternunt. Tactu metuenda nocenti,
Per liquidos acies fluitat Vulcania campos,
Belláque flammiuomis pelago mouet ignea cymbis,
Exitiale ferens damnum, quà pinguis adhæſit
Correptis ardor trabibus, piceámque refudit
Sparſilibus peſtem flagrans Bellona procellis.
Succeſſu caruere doli; quæ fœta voraci

Turbine

Turbine nabat ouans, ponto vomitura furorem
Præcipuum ratis, & contagia prima ſerebat,
Spémque, fidémque, Deo ſortem voluente, fefellit.
Ecquis enim miri cœlo non protinùs alto
Aſcribat cauſas facti, Superúmque fauori?
Ferre per aduerſam ſua iuſſus fulmina claſſem,
Transfuga conuerſis in ſe redit actus habenis
Mulciber, incumbítque rati, cunúſque refuſo
Ipſe ſuas populat damno; mox traduce flammâ
Hinc illinc alimenta rapax propiora ſequutus,
In ſocias pede diſſultat crepitante Liburnas,
Diſpergítque nefas: per tranſtra ſubinde, foróſque,
Subliméſque, Noto vires addente, ceruchos,
Sulphure paſta meat labes, & naufraga ſparſis
Buſta vorat tabulis, funúſque natatile mergit.
Stricta ſuperfuſis adſibilat vnda fauillis;
Atque repercuſſæ vibrans ſub lumine flammæ
Amburi liquidis metuit Neptunus in antris.
Attonitus, caſúque animum deiectus iniquo
Spes vri videt ipſe ſuas de nauibus hoſtis;
Fluxáque bis vani mœrens conamina cœpti
Verſa remetitur fugitiuis æquora velis.
Vix tamen appulerat; ſummis cùm robora paſſim
Cæſa iugis, longo metantur littora ſulco,
Indutura ſuas curuato pondere formas.
Feruet opus, ſtrepero pelagi fremit ora tumultu;
Nulla manus, lux nulla vacat; ſibi mobilis inſtat
Sedulitas, ſubigítque moras, Martémque retexit
Æquoreum, ſtructis pontum tectura carinis.
Vt parui ſi quandò ſtruem diſiecit acerui

Verſa ſuperducti ſtringens ſata morſus aratri,
Frugilegos metuens hyemi formica labores
Inſtaurat, fuſáſque vago feſtina regreſſu
Cogit opes, cumulúmque nouat, dapibúſque futuris
Conſulit, & ſparſum ſibi cauta recolligit annum.
Audiit, & medio Rex agmine peruigil omnes
Excubat in caſus, venturáque prælia verſat
Strenuus, & totum voluit ſub pectore bellum.
Nec minùs intereà, recti quid poſcat & æqui
Menti fixus amor, curâ explorare ſagaci
Inſiſtit bonus, & mores componere lapſos
Militiæ, ſecli renouans exempla prioris.
Haud aliàs Themidi tantùm Bellona ſedenti
Poſſe dedit; mediis Pacem ius dicere caſtris,
Et placido gentem credas compeſcere fræno.
Quid liceat ferro, ſumptis oblitus in armis,
Exigit innocuum miles ſub pellibus annum.
Ante oculos, iuſto cui ſub ductore laborat,
Cum Superis cœlum, & priſcæ virtutis imago.
Primus vbi radiis Titan diffulſit Eois,
Clangentes inter lituos, operoſáque belli
Munia, fortuito ſtructas hinc inde per aras
Ceſpite, non vanâ Deus exoratur acerrâ.
Quæque priùs virtutis erat pars maior in armis,
Hîc furor eſt, non eſſe pium; minùs ipſe timetur,
Quàm ſcelus, obſeſſis hærens iam mœnibus hoſtis.
Iure datos vltrò mordet vis improba frænos,
Dediſcítque nefas; abſunt rixæque, minæque,
Et cauponati ſolennia crimina Martis,
Conſortes ſcelerum fraudes, curuíſque rapinæ.

Vnguibus, & vetito parta molimine prædæ.
Securi tenues reditus auctura coloni,
Intactum, medios inter caput exerit enſes
Tempeſtiua Ceres; ductíque per aggeris oras
Tuta coloratis ſe pampinus induit vuis.
Et (veri ſi certa fides) quà plurima laxos
Diſſipat hinc illinc legio partita maniplos,
Cultori reditura ſuo, cùm plena tumebunt,
Munera, bellantum ſignis propè nata ſub ipſis,
Incuſtoditos mulcet Pomona per hortos.
Gramina non pratis deſunt, non pabula campis.
Et ſpicis redimita caput, ſe diuite paſſim
In populos, & caſtra refundit Copia cornu.
Talis eat, Chelis olim ſi priſca relictis
Natales Aſtræa redux ſine ſanguine terras
Innocuo repetat ſceptro, ſcelerique per orbem
Inferat humanâ ſacrum ſub imagine bellum.
Inſontes placidis famulari legibus enſes,
Et poni tacitas Marti miratus habenas,
Dum modico ſibi ruris opes componit aceruo,
Otia ſeruanti domino, quæ fecit, arator
Iucundum pæana canit; dat paſtor ab alto
Colle procul, ſociæ concors non diſſona cannæ
Sibila, nec vacuas ceſſat frondator ad auras
Auditos iterare ſonos, multáque priores
Laude ſupergreſſum reges, componere ſummis
Magnanimum regem Superis; Hoc feſſus ab vrbe,
Ad patrium primâ ſub nocte viator agellum
Dum redit, hoc ſummi vigil ad carcheſia mali
Nauta, per æquoreas Tritonibus inſtrepit vndas.

Inſtrepit, & ratibus notæ de partibus Vrſæ
Aduentare procul cernens, iam tertia ventis
Carbaſa pandentem, qui bis modò fugerat, Anglum,
Auxilium ridet Lunare, mináſque fluentes.
Nec fuit euentu diſpar fortuna priori.
Expectata diu reducis ſtata tempora Phœbes
Iam grauidas cumulis tollunt ſolennibus vndas,
Et noua conſortes ſociant in prælia vires.
Omnis in aſpectu conuerſis horrida proris
Hinc illinc acies, omníſque in littore circùm
Non Marti deuota manus, fugiénſque pericli
Sexus, & emeritis torpens iam viribus ætas,
Optatam viſura diem, quæ fata labanti
RVPELLÆ *ſuprema daret; tres ordine luces,*
Glandiuomis, primæ ſpargens præludia pugnæ,
Faucibus intonuit Mauors; tres ordine luces
Irritus eluſæ conſumpſit imagine pugnæ
Impetus, & raro fulmen memorabile damno.
Per geminæ tantùm coſtas & ſtuppea nauis
Viſcera, turbinibus tempeſtas iuit ahenis.
Haurit hians mortem liquidam, rimíſque fatiſcens
Vtraque cum populo ſidit peritura recepto.
Inde Caledoniis, gemitúſque, metúſque Britannis.
Auſpiciis igitur malè ſuccedentibus vſi
Æquore ſubductam reuocant ad littora claſſem.
Conatus ſed enim poſtquàm fruſtrata malignos
Vis cecidit, ſolitas fraus tutior inſtruit artes.
Impluitura ſuæ noſtris aſpergine flammæ
Puppibus, admiſſo ſparſim ſe plurima vento.
Nauis agit; nauim peſtis comitatur euntem

Non audita prius. Candentis lamina ferri
In gracilem lento curuamine flexilis orbem
Ducitur, ac multi congeſto pondere nitri,
Et rapidi largo ſaturatur turbinis hauſtu:
Tum ſalici ſuppacta leui, committitur ipſis
Sicca lues vndis, & ineuitabile totis
Claſſibus importat ſubſtrata per æquora damnum.
Námque tubi ſimul ac grauidi latus obuia moles
Impulit, occurſu primo luxata, repentè
Machina rumpit hians; clauſæ vis feruida flammæ
Cum tonitru micat erumpens, & texta propinqua
Pinea comprendens ratis, exilientia cladis
Semina diffundit, tabulatíſque implicat vnctis;
Mox volucri raptas flexu populata carinas,
Per medium rotat exultans ſua crimina pontum.
Enceladi talis cineres, iráſque ſepulti
Trinacris interdum ructantibus Ætna caminis
Egerit; æthereas vndat vapor alter ad auras,
Inuoluítque diem; ſparſæ per inane fauillæ:
Proxima corripiunt flammis, & idonea nactæ
Pabula, concepto glomerant incendia vento.
Vanus vterque labor; fuſo leuis igne procaces,
Terrentéſque ſalum furias, cum remige linter
Obuius, implicuit nexu, vinctáſque triumphi
Duxit ouans ſpecie placidi. Sic parua moratur
Ingentes mediis naues Echeneis in vndis,
Luctatúrque vagos, nautis mirantibus, Euros.
Hîc pugnæ, bellique ſimul ſub mœnibus hæſit
Terminus: at muros intrà, vix ægra per vrbem
Paſſu membra trahens lento, ſine milite Regi

Militat eſuries ; vacuis quæ ſæua medullis
Exſpatians , tritis pariter Cerealia poſtquàm
Munera conſumpſit culmis , ſine more , modóque ,
Eſſe iubet veſcum , quicquid latrantis hiantem
Compeſcit ſtomachi rabiem , paucáſque nocenti
Prorogat in luces dilatum pondere fatum.
Quin ſcelus , humanis ieiunia ſoluere membris ,
Cœperat eſſe pium. Tantum ſuadere furorem
Dira ſuperſtitio potuit , mentíſque profanus
Error , & infandæ cognata ferocia genti.
Hinc macies primùm , cœco dein viſcera tabes
Fomite depaſcens longus quid ; mutet in ægris
Aut minuat , vix morbus habet : mirata colorem
Per vultus errare ſuum Libitina , vagari
Exangues animas , & egentes corporis vmbras
Credidit , atque nouæ ſibi fila retexere vitæ.
Iámque Saganthinos paſſis ſuperantia caſus ,
Eſſe reis quæ pœna ſolet , mors horrida primum
Venerat in votum ; curam quoque turba ſepulchri
Perdiderat , patriæque tegi contenta ruinis ,
Priuatâ , cineres inter , manéſque ſuorum ,
Reſpuerat tellure premi : feralia viſu ,
Aſpicias triuiis proiecta cadauera totis ,
Stipatáſque neces , & ſtratos mortis aceruos.
Hæc inter tot ſæua trucis monumenta furoris ,
Quo cadat vrbs ſpatio , fatis anguſta cadentum
Non habet ; & multo nuper quæ nubila ſaxo
Intrabat , cœlóque parem ſe læta ferebat ,
Pars tumuli fit parua ſui. Quid denique tandem
Quid reſtat miſeræ , veniam quàm poſcere verbis ,

Et dominum totis victorem admittere portis?
Admittit. Gaudete boni, quoſcumque beatæ
Proſpera fata iuuant patriæ: venientibus annis
Hæc dabit vna dies, quod ſecula nulla dedêre
Præteritis, longâ ſtabilem cum pace quietem.
Sin animis belli redeat, palmæque cupido,
Hæc eadem, quacumque vago ſol axe recurrit,
Hæc dabit innumeros concordibus vna triumphos.
Nulla ſibi regni vires ciuilis Enyo
Diuidet, & Francis quod deſuit hactenùs armis,
Vincere iam didicit, vinci quâ ſueuerat vnâ
Antè mora, ſolo noſter priùs impete miles
Creditus, & cæco pugnas miſcere tumultu,
Nunc ſpes ferre ſuas docilis, patiénſque laborum.
Ergò reluctari feſſos, veniámque precatos,
Ingrediens placido luſtrat Rex lumine ciues;
Præcipuúmque ſui victor decus eſſe trophæi
Parcere ſupplicibus putat, atque ignoſcere victis.
Sic Hyadum nimbos, & opacæ vellera nubis
Innocuo ſenſim perrumpit ſidere Titan,
Lætáque conſpectis renouat ſpectacula terris.
Quas populi toties pœnas meruere rebelles,
Saxa luunt; gemit vrbs muris exuta ſuperbis,
Vix ſibi poſt tantas nunc agnoſcenda ruinas.
Queis ſuperincumbens iaculo perfoſſus acuto
Error, & æterni ſimul Ignorantia veri,
Vltima languenti ducunt ſuſpiria motu.
Vera ſubit cœlo Pietas delapſa ſupremo,
Et nulla ſincera Fides temerata veneno.
His ducibus, Latio tonſus de more ſacerdos,

Vndantíſque humeros lini ſuccinctus amictu,
Reddere quas ſummo luſtrans exultat Olympo,
Pronus adoratas operatur ritè per aras;
Et Superos fumi nimbo veneratus odoro,
Suſpendit votiua ſacris donaria templis.
Audiet hæc gelido tellus contermina ponto,
Vna ſibi medium quà nox propè vindicat annum;
Audiet ardenti populus qui concolor axi,
Lubrica per patrias veſtigia torquet arenas;
Audiet & priſcis ignota Zypangria ſeclis,
Et geminæ littus Iauæ, Phœbíque cadentis
Meta recens, Liguri primùm luſtrata Columbo
Auri terra ferax, & quicquid auara, repoſtas
Auſa maris tentare vias, ſub vtroque videndum
Axe, ſecuturis patefecit Iberia nautis.
Forſitan & Canadum Luparæ quà numen adorat
Axe ſub aduerſo tellus, de littore noſtro
Tempeſtate plagas aliquis delatus in illas,
Edita Santonico referet miracula ponto.
Barbara ſuſpenſis hæc combibet omnia circùm
Auribus, & patrio gens tollet ad æthera cantu.
Tu quoque; cui diues nomen locus, ardua ſortem,
Et titulum fecit virtus, narrabere tanti
In partem veniſſe operis; nec longa tacebunt
Exhauſtos pro Rege tibi, cœlóque labores
Secula, Borboniis ſurgent dum lilia campis,
Et pia Romanas fumabunt thura per aras.
Intereà, meritis dum præmia Phœbus adornat
Digna tuis, magnúmque lyrâ veneratus alumnum,
In tua ſe longo ſoluit præconia cantu;

Has

Has tibi, Pierij lectas in vertice montis,
Auſoniæ vittis lauros inſerpere mitræ
Hîc ſine, perpetuæ monumenta perennia famæ.
SALVE *magne Heros, heroibus æmule magnis,*
Laus patriæ, columénque tuæ: quem dia per omnes
Laudum apices recto naſcentem tramite Virtus
Duxit, & æterni radiis luſtrauit Honoris.
Exutis quòd priſca Fides iam libera vinclis
Sacra profanatas inſtaurat auita per aras,
Errorémque premit ſuperans: quòd neſcia fræni
Anteà, nunc pronum tremefacta Rebellio collum
Sub domini iuga protendit victricia, munus
Eſt, ARMANDE, *tuum; magni qui Principis omnes*
Conſilio ſolers auſus, vigilíque labore
Dirigis, & ſocias confers in publica curas.
Te dominæ nuper ſancita potentia Libræ
Vindice monſtra domat, ſcelerique timenda nocenti
Herculeæ populis renouat miracula clauæ.
Hanc ſacri diues prædo, gens improba, fiſci,
Hanc populator opum luxus, hanc dira tremiſcit
Priuati rabies tandem compreſſa duelli.
Hanc etiam freta ſtraturâ ſub claſſe veretur
Miratura nouum de ſemine Tethis Achillem
Hectoreo, quem tu reliquis cedentibus vnum
Iam pelago regnare iubes, & ponere toti
Fræna mari. Gentes hinc didita fama per omnes,
Et ſceptri renouatus honos; hinc vincla ſuperbi
Ferre diu nimiùm puer indignatus Iberi
Inſuber, obliquæ quas exerit ore colubri,
Aurea Sequanicæ ſupplex ad Lilia ripæ

Eridani geminas tendit de littore palmas;
Hinc tacito dominos ſuſpirat pectore Gallos
Mox iterùm noſtris ceſſura Neapolis auſis.
Euentu nec iuſta ſuo fors vota carebunt:
Sed prior Auſtriacis premitur qui Mincius armis
Sentiat auxilio Luparæ recreatus amico,
Quid, data ciuili tandem poſt fræna furori,
Victori RVPELLA *ſuo iam* CAPTA *rependat.*

IOANNIS SIRMONDI AD EMINENTISSIMVM CARDINALEM RICHELIVM.

E SEPTIMANIA LVTETIAM, profligatâ felicibus conſiliis Rebellione, per Aruernos redeuntem.

ELEGIA.

DVM reduci plaudit populoſa Lutetia Regi,
In domini laudes ingenioſa ſui;
Et tibi, præcipuo Regis, regníque miniſtro,
Venturo titulos ornat amica nouos:
Hæc tuus Aruernas remeanti pauca per oras
In patrio vates carmina pangit agro.
O decus, ô noſtri rariſſima gloria ſæcli!
O columen patriæ, præſidiúmque tuæ!
Magne vir! Auſoniæ cui iura ſecunda tiaræ
Purpureo Virtus murice cincta dedit!
Ecqua, tibi totam quæ ſe iam Gallia debet,
Perſoluet meritis præmia digna tuis?
Nulla tuas æquet, cùm fecerit omnia, laudes,
Quamlibet arguto dædala lingua ſono.

Compoſitas vt enim ſileam feliciter iras,
Junctáque conſtanti Regia corda fide;
Et toties ſceleri, toties data vincla furori,
Et toties cunis bella ſepulta ſuis:
Bis pelago, terráque ſemel dare terga Britannus,
Et celerem iuſſus præcipitare fugam,
Obſeſſæ procul actus Iber dè finibus vrbis,
Mantua quam domino vindicat æqua ſuo,
Verſáque certatim qui propugnacula Volſcæ
Obſequij tradunt pignora fida ſui,
Et quæ capta prior cepit RVPELLA *ſequaces,*
Debentur Genio, munera magna, tuo.
Inuidioſa quidem, ſi iudicet omnia liuor,
Sed tamen inſontem laus habitura fidem.
Participem te quippe, ſui velut antè laboris,
Sic quoque nunc famæ Rex iubet eſſe ſuæ.
Hinc domino ſtudiis paſſim conſpirat amicis
Jurè tibi plaudens vndique plebis amor.
Nota loquor; vano lita nec mendacia fuco
Poſteritas chartis arguet eſſe meis.
Quos non Artomici nuper, fortéſque Cadurci,
Iuſſus vbi placidas voluere Tarnis aquas;
Quos non Tectoſages, Gabalique, altique Rhuteni,
Sparſáque vicinis oppida mille locis,
Quos tibi non illi, popularia munera, plauſus,
Quæ non lætitiæ ſigna dedêre ſuæ?
Jlla ſed indigenis memoranda relinquo poëtis,
Viſa mihi tantùm, vel propiora ſequar.
Cernis vt ipſa ſuos nutans Aruernia montes
Eluctaturis peruia pandat equis?

Quáque pedem rarum priùs admittebat, eunti
Sollicitâ duras molliat arte vias?
Quo fers cumque gradum, prono te læta ſalutat
Vertice de patriis multa Napæa iugis,
Inque ſinum fluidi nimbos inuergit amomi,
Et cum purpureis lilia mixta roſis:
Hinc meditata nouos circùm tibi Flora colores,
Verna per emeritos dona refundit agros;
Deſuetáſque nouans alieno menſe querelas,
Integrat oblitum Daulias ales Ityn:
Aurea diſcuſſis illinc Aurora tenebris
Axe terit nitidum candidiore polum;
Æſtiuóſque tibi gaudens lenire calores
Mollior arboreas ventilat aura comas.
Mox vbi finitimas attingis proximus vrbes,
Te properat tantum cernere turba virum.
Occurrunt puerique ſimul, matréſque, patréſque,
Et propiùs viſum muneris inſtar habent.
At mea præcipuo te parua RIOMVS *honore*
Excipit, aduentu creſcere viſa tuo.
Aſpice, ſe quanto diffundant vndique plauſu
Ciuica per latas gaudia ducta vias.
Omnis adoratis hinc illinc imminet ætas
Vultibus, in cultus officioſa tuos.
Corporis hic, animi dotes hic ſuſpicit alter,
Et longo nexos ſtemmate laudat auos:
Ille tibi vitæ facilem, ſortíſque tenorem
A ſuperis grato poſtulat ore Deis;
Cuſtodique memor, tutelarique precatur
Omnia, quæ nato mater amica ſuo.

Nec deſunt aulæa ſuis ſpectanda figuris,
Nec deſunt titulis apta trophæa tuis.
Arte laboratas multùm properante tabellas,
Quà patet vrbs, portis conſitus arcus habet.
Magna tui partâ iam laude fruentis imago
Hîc ſedet Auſoniâ conſpicienda togâ.
Sub pedibus tumidas frendens premit Hæreſis iras,
Impia conſiliis Hydra retuſa tuis.
Nec procul, euerſis exuta Rebellio muris
Subſternit patrio colla nefanda iugo.
Dij benè, quòd Stygio nunc vtraque merſa barathro
Exulat Aruernis non reditura focis.
Quid referam cœlo quondam fundata, tuíſque
Hîc tria iam trabibus Lilia fulta tribus?
Omen habere ſuum populo res viſa legenti;
Et niſi me Phœbus decipit, omen habet.
Parte aliâ, ſua Rex vni tibi fulmina credit
Iuppiter, irati tela tremenda Dei.
Tu manibus centum centum quoque lumina iungens
Aſſimilas Argum, centimanúmque Gygen.
Aduigilant tamen iſta Ioui tot lumina ſoli,
Centimanus ſoli militat iſte Ioui.
Borbonios at vbi ſibi iam Themis alta penates
Vindicat, hoſpitio facta ſuperba tuo;
Alta ſecans gemini ſociat commercia mundi,
Quam regis, externas puppis itura vias.
Hoc duce, nec ſcopulos, nec agentes æquora ventos,
Nec timet iratas Gallica nauis aquas.
Fit tuus hîc patriis petaſus Cynoſura carinis;
Purpureus multo ſidere fulget apex.

Et commiſſa tibi, nutantibus Anchora rebus,
Cùm ratis auxilium poſtulat, apta venit.
Cætera ſed quid ego longæ ſpectacula pompæ
Perſequar, & variis pegmata ſtructa modis?
Ire paras, modicaque timens diſpendia lucis
Præcipitas cœptam ſedulitate viam.
Quid properas? rapido vixdum deferbuit æſtu,
Quæ medium terris diuidit hora diem.
Siſte gradum; ſed vana peto; te publica vota
Hîc prohibent paruæ tædia ferre moræ:
Dum loquor; EFFIADES, *pulcherrima numina, Nymphæ*
Inuitant domini tecta ſubire ſui.
Iámque ſubis: magna tibi ſe domus ampla paratu
Pandit, & ingentes explicat artis opes.
Quo te cumque feras, cultu nitet illa ſuperbo
Vndique, nec donis pars caret vlla ſuis.
Plurimus inſtratas ductu rigat vbere foſſas
Alueus adſcitis ambitioſus aquis.
Has niueus percurrit olor, ſtreperóque laceſſit
Murmure, per longos lympha refuſa tubos.
Proximus in magnâ ſibi tonſilis hortus hypæthrâ
Dædaleo refugas circinat orbe vias.
In medio, patuli luctatus hiantia plumbi
Vincula, diuiduas fons iaculatur aquas:
Quem circùm Latio ducti de marmore vultus
Conſurgunt variis, munera priſca, locis.
At nocuum ramis arcet ſocialibus æſtum
Iuſſa peregrino ſurgere ſilua ſolo.
Et Zephyris inter motas crepitantibus vlmos
Lubrica ſubiectis adnatat vmbra vadis;

Hîc tibi, poſt tantos bellíque, viæque labores
Otia ſecuro carpere tuta licet.
Carpe libens; nullo variantis certior anni
Temperies, nullo blandior aura loco.
Deliciis tamen ô nimiùm ne crede paratis,
Quæ ſolitæ ſummos frangere ſæpe viros.
Si vigiles regno ceſſes impendere curas,
Ménſve ſub ingenti pondere feſſa labet;
In peius ruet, & retrò ſublapſa feretur
Publica conſilio res ſtabilita tuo.
Sic ſemel immoti ſteterit ſi cardine cœli
Immemor heſternâ Sol remeare viâ;
Protinùs eluſis Cerealia germina culmis
Deſtituet fœti vis labefacta ſoli,
Indocilíſque vices fungi Natura priores
Eſſe miniſteriis deſinet apta ſuis.

EIVSDEM

EIVSDEM
AD EVNDEM,

De rebus præclarè ab illo felicitérque adminiſtratis compluribus.

EPIGRAMMA.

O Cui præteritis, ô cui venientibus annis,
Nulla tulêre parem tempora, nulla ferent!
Heros Heroum nulli ceſſure priorum,
RICHELI, *patriæ gloria prima tuæ!*
Dum populis domitas numerat mirantibus vrbes,
Et tot conſiliis Oppida capta tuis,
Térque freto fuſos pariter, terráque Britannos,
Atque Subalpino bella peracta ſolo:
Ipſa ſibi de te propè credere fama laborat,
Et dubio dictis decoquit ore ſuis.
Ergò modum, finémque negas quid ponere cœptis,
Ipſe tibi factis æmulus vſque nouis?
Derue de cumulo rerum, te laude perenni
Si iuuat & totâ poſteritate frui.
Plus fuerit feciſſe minùs; quàm parua tueri
Acta ſolent, perdunt maxima ſæpè fidem.

ILL^MO AC R^MO DOMINO

ARMANDO IOANNI

S. R. E.

CARDINALI

DE RICHELIEV.

ODE.

QVA clauſa vaſtis Gallia portubus
Affuſa circum marmora proſpicit,
Attollit auguſtum tridentem
Æquorei dominator orbis.

Hoſtíque certos porrigit vndique
Tumultuoſis fluctibus obices,
Feſſáſque nautarum carinas
Hoſpitio recreare gaudet.

Huius tremendis æquora nutibus
Fracto reſidunt ſpumea vortice:
Huius tumeſcentes ſeueris
Imperiis agitantur vndæ.

Si fortè ab imis ſedibus excitus
Infeſta cœlo nubila ſentiat;
Vel fronte contracta ſerenum
Continuò iubet ire ſolem.

Dein contumacem temperat impetum
Flantum ac reflantum turbine noxio
Auſtrorum, & horrendùm minantis
Terribiles Aquilonis iras.

At ille deinceps finibus æquoris
Impar regundis, & nimis anxiæ
Pertæſus ærumnas ſenectæ,
Cæruleas tibi mandat arces.

Fidámque pandens auxilio manum
Ponti ſupremis fulcit honoribus:
Nec imperanti ſceptra deſunt
Multifido metuenda dente.

Quippe hinc ſacerdos ordine multiplex
Tuis decorem nactus ab infulis,
Hinc plebe cum ſancta tridentem
Nobilitas animoſa format.

Egreſſæ ab imo gurgite Naiades
Crebris per æquor plauſibus apparant
Pompam triumphalem, tuáſque
Sæpè canunt, iterántque laudes.

Quin ipſa mutorum agmina piſcium
Ad feſta ſaltu carmina geſtiunt,
Modiſque Nympharum ſonoris
Per dociles famulantur vndas.

Hinc læta ſyrtes fama per inuias
Auguſta circum nomina detulit,
Longéque diuiſis reliquit
Magna tuî monimenta terris.

Iam tutus altum nauta petat mare,
Clauúmq; merces flectat ad Indicas:
Pacatus indulges quietem
Fluctiuagis moderator oris.

Tu ſæuientem protinus Africum,
Nubéſque luci diſcutis inuidas:
Quid plura? tu ſeruas amica
Sollicitam ſtatione nauim.

Per te alma pacis fœdera redditæ
Cogunt quietum viuere militem:
Per te rebellantum ſubacta eſt
Ira graues meditata pugnas.

Tu regnum iniquo marte petentium
Hoſtile robur prouidus arbiter
Spirante mulſiſti ſerena
Conſilij melioris aura.

Per te decori funeris appetens
Portus adibit Gallus inhoſpitos,
Victórque Idumæas repoſcet
Fulmineo ferus enſe palmas.

C. D. B.

AVGVSTISSIMO HEROI,

D. CARDINALI RICHELIO,

Hymnum hunc ſuum in Chriſtum humiliter offert
GASPAR BARLÆVS.

MAGNE *Heros, illuſtre tuis decus addite terris,*
Ingentis columen Regni, firmúmque tiaræ
Robur, & auguſtæ Præſul venerabilis Aulæ:
Dum mea ſemideûm turres, & limina Regum
Calliope pudibunda ſubit, nec longiùs audet
Ferre gradum, pauidaque tremunt ad LILIA *Muſæ;*
Indulge tua verba mihi, cupiáſque Poetæ
Pauliſper non eſſe grauis; dum ſceptra, Deóſque
Alloquor, & dignas ſoliis facundia voces
Neſcit, inexpertæ donet tua gratia linguæ
Eloquium, timidáſque iuua ſermone Camænas.
Non hîc Argolicis minitantem incendia caſtris
Hectora, Priamidáſque leges, non flebile fatum
Andromaches, Phrygiáſque nurus, non ſubruta Regum
Imperia, aut veteris miſeranda incendia Byrſæ;

H iij

BORBONIIQ; *fauor*, RICHELI, *ne carmina ſperne*
Ingenti ſacrato Deo, poſsitque mereri
Materies veniam Vati, dictúſque Redemptor
Palladium commendet opus. Si longa quietæ
Bella tuæ tulerint iamdudum incommoda menti,
Hîc pacis conſulta leges. Si Martius horror,
Tympanáque, & rauco reſonantia claſſica cantu
Turbarunt ſtudioſam animam, ſolatia curis
Inuenies hîc certa tuis. Si mitia ſemper
Iuſſa probas, victæque cupis miſereſcere gentis,
Exemplo tibi Chriſtus erit, qui parcere mundo,
Et miſeris voluit clemens ignoſcere terris.
Sin procul à Regni ſtudiis, ſemotus ab aula
Emeritum Superis animum, cœlóque redonas,
Et iam pendentis ſubeunt ſuſpiria Chriſti,
Jam nullus morientis honos, iam ſordida tabo
Vulnera, & innocuo conſperſum ſanguine corpus,
Liuentéſque manus, & quod latus hauſerat haſta,
Perfoſſique pedes, & prono languida vultu
Colla, & in excelſo minitantes vertice ſpinæ:
Hîc eadem, DVX *ſumme, leges. hîc tota malorum*
Scena patet, tantóſque obitus ediſſerit autor.
Excipe ſed facilis, Druidum clariſſime gentis,
Hoc opus, & placidus noſtris allabere votis.
Fac mea regales contingant carmina dextras,
Fac oculis ſint viſa piis, quibus adſpicit æquus
Sidera, & hunc ipſum ſpectat LODOICVS *Ieſum.*
Sic faueant tibi ſceptra, diu, ſic annuat æther
Conciliis, ſic tuta tuis fragrantia curis
LILIA *Gallorum populis, Batauiſque ſuperſint.*

Lugd. Bat. v. Id. Ian. CIↃIↃCXXIX.

AD AMPLIISSIMVM

ET ILLVSTRISSIMVM D. DOMINVM

CARDINALEM DE RICHELIEV,

Conſilij Regij moderatorem prudentiſſimum.

TENE igitur varios virtus ſpectata per vſus,
Et duris regni in rebus mens neſcia flecti
Tandem ad ſupremum, Vir Magne, euexit honorem?
(Sic fidos, nec ſera manent ſua præmia ciues
En verum ſequitur merces condigna laborem.)
Verùm ipſe arcanis intentum; & grandia regni
Dum ſatagis, ſtudiúmque aliud tua cura recuſat,
Auſim te ad dulces paulum deflectere Muſas,
Pierióſque amens ſuſpendere ſeria luſu!
Quid facerem, huc concepta vocant me vota, nec vlli
Vltores Superi ſpreto pro numine parcunt;
Gratuler vnde igitur, titulíſque inſignibus auctum,
Commendem æternis etiam poſt ſæcula chartis;
En erit vt taceam tantum decus, additáque ipſis
Munera, muneribus, cumulúmque & culmen honorum
Dum Princeps ſuprema lubens tibi munia confert,

Im-

Imponítque humeris totius pondera regni.
Te duce pacatum imperium, motúſque quietos,
Ciuiléſque iras, ſopitáque ſemina belli,
Concordéſque animos totus mirabitur orbis,
Submitténtque alij caput ipſa ad LILIA *flores:*
Criminibus tum ſi qua latent, purgabitur aula;
Et procul hinc alias ſcelus omne faceſcet in oras:
Tunc etiam, niſi fata vetent, rectúmque, piúmque
Induet exploſo miteſcens Gallia Marte,
Fórſque iterum primi aſſumet ſplendoris honorem
Clarior, & famam terras diffundet in omnes.
Haud ſecus ac ſpiſſa cùm ſol ſub nube retentus
Exeruit ſe ſe, & vultus patefecit amœnos,
Splendidius puro iaculatur ab æthere lumen,
Diſcuſſáque diem populis caligine reddit.
Certè hæc, ſi dubiam firment læua omina mentem
Euenient, ſpes magna animo, & fiducia ſurgit
Nec genium optatis ſuperi, pondúſque negabunt?
Fata iuuant, curántque ipſos pia Numina Reges,
Imperiíſque cauent, & nutu regna gubernant:
Hos decet iſte labor, ſtudium nec gratius vllum eſt.
„ Nimirum à ſuperis omnis delapſa poteſtas,
„ Quam contra attentare nefas, aut bella mouere:
„ Rebus in anguſtis pugnat pro Regibus Æther,
Solque aliò, Martis ſi fortè pericula poſcunt
Flectit equos, retróque fauens auertit euntes.
O quoties noſtri ſummo in diſcrimine Reges
Præſentem agnouere Deum, cœlíque miniſtros,
Proſtratúmque armis toties cœleſtibus hoſtem,
Et coniuratas Regnum reſcindere turmas!
I

Teſtis erit pater Henricus, quo Auguſtior alter
Non fuit, Europa nec fortunatior omni;
Dum propria virtute ab auis venientia regna
Vindicat, & noſtris Mauortem à finibus arcet;
Teſtis erit tanti ſoboles Auguſta parentis
Jnfirmi ſalebras emenſus & aſpera regni
Fortunæque vices Martíſque Loyſius iras
Matre duce, & dubij auertente pericula curſus:
Qualis vbi è nido ſobolem Iouis Armiger alto
Eduxit, primóſque regit per inane volatus
Remigio obſtantes alarum dimouet auras,
Oſtendítque viam facilem, & tractabile cœlum.
Nunc etiam fata vrgent, crebríſque minantur
Inſidiis, & operta tument paſſim vndique bella:
Aſpirant noſtris cœleſtia numina votis,
Jámque Dei monitis infandæ exordia telæ
Luminibus patuere tuis, fraudéſque retectæ.
Perge modo, clauúmque tenens puppim ipſe guberna,
Dextri aderunt, Zephiríſque implebunt vela ſecundis
Ne dubita, gratóque dabunt ſuccedere portu
Cœlicolæ, & feſſis facient tandem otia Gallis.
O mihi ſi vanus animum non paſcat Apollo,
Nec mea lanificæ feſtinent penſa ſorores;
Tempus ego ſeruatus in hoc, quàm vota libenter
Suſcepta exoluam, ſacras prolapſus ad aras!
Non me ſi Elyſiis Vates Smyrnæus ab vmbris
Prodeat, æthereas rediuiuus vt incolet auras
Terreat, audacíque tuba mea carmina vincat:
Ipſe ſuo noſtros è littore Sequana cantus
Audiet, & pelago referens diffundet in orbem.

Ipſa etiam tanti titulis illuſtris alumni
Mente aderit plaudétque mihi non vltima tellus
Iuliadum, Ruríſque Dea, manéſque Macrini,
Hoſque ſimul plauſus vicinis reddet ab antris;
Nec ſe Echo patietur in hoc certamine vinci,
Et nemora, & ſaltus paſſim in reſponſa mouebit,
Præcipuè qua DIVES *humum* LOCVS *ornat amœnam,*
Et rigui fontes, & riui è fontibus orti
Dant ſonitum percuſſi, & dulcia murmura reddunt.
Ergo age, te Clyo comes indefeſſa ſequetur,
Subducétque auidis tot facta ingentia fatis,
Quæ tandem memori victura ſacrabimus æuo.

CAROLVS ROGIERIVS.

AD EMINENTISSIMVM CARDINALEM RICHELIVM.

CLARA meis Rupella malis, quæ ſola tot hoſtes,
Tot reges inuicta tuli, nunc certa futuræ
Cladis, & inſtanti fatis damnata ruinæ,
Non expectato ſeruor captiua triumpho.
At non ille ferox qui nunc ſe iactat Iberus,
Non Italæ fraudes, non hæc mihi damna rependunt,
Heluetiæque acies, ſæuæque potentia Romæ:
Nil Batauæ potuere rates, nihil inclyta virtus
Guiſiadæ, iunctóſque trahens Morantius Anglos;
Nec Melitæus eques, victo nec inutile bello
Auxilium lentè quas miſit Iberia puppes,
Totáque quas patrias armauit Gallia turmas:
Quodque magis ſtupeas (& quæ mea maxima laus eſt)
RICHELIIQVE *animos artéſque interita ſenſi.*
Illum in me vaſtæ verſantem pondera mentis,
Et vigiles oculos, Titan oriénſque cadénſque
Vidit, & æternas ſtupuerunt ſidera curas.
Sola tamen triſtéſque iras repetitáque cautis
Fœdera conſiliis, tantíque capacia regni
Pectora, difficiléſque aditus, pugnáſque, dolóſque

Suſtinui dum fata dabant : nunc victor ouánſque
Altera fata trahit iuſtis LVDOVICVS *in armis :*
Ille meos ſolùs Ciues, mea mœnia ſolus
Terruit, atque leues fecit pugnantibus iras.
Ceſſit hyems, ceſſit pelagus, ceſſere procellæ ;
Hoc quoque (quis credit) victum iam molibus æquor
Frangitur, oppoſitas maria indignantia rupes
Accipiunt, vadíſque fauent, Rex ipſe fauori
Numinis accedit, tellúſque, fretúmque tumultus,
Et coniurati poſuerunt prælia venti,
Dum Regi nocuiſſe pudet : quid inania victos
Arma precéſque iuuant ? terráque, maríque, Deóque,
Unà premor, Templis ſuperi ceſſere relictis,
Poſt ſuperos ſtetimus ; tota (REX*) obruit vrbem*
Natura : Ciues, hoc Rege hoc milite vinci
Nil pudeat, victam me totus prædicet orbis,
Dummodo vel noſtros orbis quoque prædicet hoſtes.

GOMIN.

IN HONOREM ILLVSTRISSIMI DOMINI, D ARMANDI CARDINALIS DE RICHELIEV,

OB EGREGIA IN REGEM REGNVMQVE merita, & res in Rupellæ obſidione ac deditione terrâ maríque præclarè geſtas,

ANAGRAMMA.

ARMANDVS IOANNES DV PLESSIS, CARDINALIS DE RICHELIEV.

INDE DICÊRIS SAMSON, DAVID, HERCVLES, PAN SERVANS LILIA.

EPIGRAMMA PRIMVM.

QVANTA, ARMANDE, *tuis Heroum nomina claudis*
Nominibus, famæ gloria tanta tuæ eſt.
Nec tibi ſola parit lingua hunc mortalis honorem,
Immo etiam erroris neſcia lingua Dei.

Non etenim verbis diuina potentia, verum
Mortales factis grandibus alloquitur.
Quæ te ergo celebrant ingentia facta per orbem,
Heroas primos inter & annumerant,
Vt tua non ita ſunt quin ſint ſimul omnia ſummi
Facta Dei, ſic ſunt omnia lingua Dei.

II.

Ter centum celeri curſu comprendere vulpes
Aggreditur Samſon, currit, & aſſequitur.
Quot Rupella virûm claudebat millia muris,
Tot latebris vulpes delituere ſuis.
Cepiſti, nec eas curſu telóue ſecutus,
At fixum retinens in ſtatione pedem.
Sic quæ aliis multo tandem quæſita labore
Proueniunt, eadem, & plura quietus agis.

III.

Vt Gazæ portas Samſon poſtéſque reuulſit,
Impoſitum dorſo non graue tollit onus.
Haud ſatis ARMANDO *Rupellæ tollere portas,*
Cum portis etiam mœnia cuncta tulit.

IV.

Obuius horribili Samſon fit fortè leoni,
Aggreditur manibus, dilacerátque feram.
Sic Rupella minas ſpirans cædéſque leæna eſt,
Numine quam plenus te ſtimulante petis.
Irruis, & victæ celſas cum mœnibus arces
Deiicis: ô facti gloria quanta tui eſt!

Te ſimul immanes totidem domuiſſe leones,
Quot tenuit muris vrbs ſcelerata viros.

V.

Dum redit ad domitum Samſon ſub rupe leonem,
Mellis in exanimi repperit ore fauum.
Rupellam ſimili fœcundam prole leænam
Extinguit tua vis, progeniémque ſimul.
Inde omnis lætis clamoribus inſonat æther,
Inde chorus iuuenum plaudit, & inde ſenum:
Nec capitur regno, diffunditur orbe voluptas;
Mortua, prô, quantum bellua mellis habet!

VI.

Dauid vt aduerſi contra ſtetit ora Gigantis,
Frontem illi ſaxo diuidit, enſe caput.
Hoc Rupella inter munitas extitit vrbes,
Mortales inter quod fuit ille Gigas.
Hanc petis, haud ſaxo, neque enim ſaxo illa ruiſſet,
Saxorum at longa per mare congerie.
Tanta mole minor cecidit Rupella, cadentis
Pondere contremuit terra, fragore polus.
Hinc tibi victori pueri innuptæque puellæ
Hæc inter choreas carmina feſta canunt:
Currum alij quondam captas egêre per vrbes,
Hic per Rupellæ mœnia victor agit:
Quantum illas Rupella caput ſuper extulit vrbes,
Tantum extat ſuper hos altior ille duces.

VII.

In Dauide omnis virtus micat, at ſuper omnes
In Regem pietas eminet, atque fides.
ARMANDI, LODOICE, *tui Rex maxime Regum*
Hæc vita eſt, vitam hanc omnia facta probant.
Hic ſe rite tuos ſenſus ita flectit ad omnes,
In te tanta fides tantus amórque viri eſt,
Ut meritò dubitans te iudice Gallia certet,
Dauidi ſimilis ſit magis, anne tibi?

VIII.

Oceano feciſſe viam, tellure cauata,
Montibus & ruptis, eſt labor Herculeus.
Oceano clauſiſſe viam, media aggere molis
Digna etiam ſuperis, eſt tuus iſte labor.
Qui negat Herculeo maiorem hunc eſſe laborem,
Ille tibi Alcidem cenſeat eſſe parem.

IX. De eodem vtriuſque labore.

Illius Herculei fuerant monimenta laboris
Littoribus geminis ſtructa columna duplex.
Rupellæ deiectæ omnes cum mœnibus arces
Clara laboris erunt tot monimenta tui.
Hunc nullis poteras meliùs ſignare columnis,
Æternúmque illi conciliare decus:
Herculeæ pridem in terram cecidere columnæ,
Hæc nullis ſurgent mœnia temporibus.

K

X.

Immanis ſeptem capitum domita ignibus hydra
Alcidæ ſummum creditur eſſe decus.
Hydra fuit Rupella, cui quot mœnibus arces,
Tot capita aſſurgunt alta, tot ora ſonant.
Non poterat ferro aut flammis hæc hydra necari,
Illi cuncta fame claudis vt ora, necas.
Hæreſis hydra alia eſt, quæ tot capita ardua tollit,
Quot ſcelerum facies Phœbus in orbe videt.
Rupellam expugnans, hanc vnâ conficis hydram,
Te geminum Alciden eſſe quis ergo neget?

XI.

Antiquis habitus ſæclis Pan paſtor, & idem
Paſtorum princeps maximus, atque Deus.
Paſtor es, atque tuæ ſimilis quos purpura veſtit,
Paſtorum titulos, munera, nomen habent.
Nomine ſi meritíſque Deus digna adiicit, inter
Paſtores ſummos mox numerandus eris.

XII.

Pan priſcis hominum primus, primuſque Deorum,
Pan idem qui Sol, Sol Deus omnis erat.
Dum tibi Rex primos Regni largitur honores,
Et credit fidei dum ſua ſéque tuæ,
Te ſibi ſupremo teſtatur Pana ſecundum,
Regis & hanc vocem Gallia tota probat.

XIII.

Lilia regalis decus immortale coronæ,
Lilia francigenûm gloria prima virûm,
Nil trepidate, hominum vos nulla inimica poteſtas
Franget, vos furtim dextera nulla leget.
Seruat enim quo nil vobis cuſtode timendum eſt,
Quippe tot Heroas nomine réque refert.

LVDOVICVS MÆRATIVS SOC. IESV.

DE RVPELLA CAPTA,

EPIGRAMMA.

DVM vallo inſidam Princeps pius obſidet vrbem,
Et ratibus moles ſaxea claudit iter,
Plebs corio de more canum ſebo ante ſubacto
Produxit ſæuæ tædia longa famis.
Victori intereà panduntur mœnia Regi,
Tot ſimul exhauſtis millibus eſurie:
Nam neque RICHELIVM *claſſis deluſit Iberæ*
Spes leuis, aut tardâ profuit Anglus ope.
Si tamen effrœni pro libertate tuenda
Malluerat certâ turba perire nece,
Quàm macie informes tam vili occumbere letho
Nobilius fuerat fortiter enſe mori.

MARC. ANT. MILLOTETIVS.

K ij

Contudit, atque vno demùm feliciter ictu
Victor Hugonotæ capita omnia conſcidit hydræ;
Conſiliis ARMANDE *tuis. Tu cuncta potentis*
Ingenij curis penetrans, animôque volutans
Omnia, nunc freta, nunc claſſem, nunc caſtra, laboréſque,
Et vaſtas obicum moles operúmque videbas.
Tu Ducibus mandata dabas: tu Militis omnem
Eloquij iuſtis acuebas cotibus iram.
Quin & fræna mari, Pontíque tumoribus aptans,
Indocilem Oceanum Regi ſeruire iubebas.
O caput! ô faſtis nomen venerabile noſtris!
O Regi dilecte tuo! te Gallia ſoſpes,
Te Populus, te Relligio, te Principis aula,
Et fauor æterno laudum ſplendore coronant.
Ac niſi Romani vetet obſeruantia moris
Quicquid non Italum eſt, ſacris, Mundóque praeſſe,
Et Vaticano prohibens in colle ſedere;
Ter geminæ diadema vouent ARMANDE *Tiaræ;*
Vrbanóque ſenem vnanimes ſuccedere poſcunt.
Vt tua quæ veterum titulis illuſtris auorum
DIVITE *clara* LOCO *micuit, te Principe, totum*
Virtutis fulgore tuæ Gens impleat orbem.
Sed fruſtrâ meritos alio virtutis honores,
Magnorúmque operum fructus, & præmia quærat:
ARMANDO *meruiſſe ſat eſt, Regíque fidelem*
Impendiſſe operam, ſibi pro mercede reponit.
Tantus honor fortes propriæ dulcedine laudis
Imbuit, & ſolido mentes alit intus Honeſto.

AD EMINENTISSIMVM CARDINALEM DVCEM, INDIGNATIO DOMVS AVSTRIACÆ.

Mene incœpto deſiſtere victam,
Non poſſe Italia Francorum auertere Regem?
Quæ me fata vetant Latiis conſidere Regnis,
Et latos nullo fines cuſtode tueri?
Illa ego cui immortale genus, multóſque per annos
Stat fortuna domus, & aui numerantur auorum:
Diuerſo quam rapta manu tot ab hoſte trophæa
Exornant, gentéſque colunt vtróque ſub axe
Perdomitæ, Poſitas ne aliquo ſub cardine mundi
Noſtris coniunctas inimica potentia ſceptris
Attriuit vires vnquam, aut impune laceſſit?
Denſior vt terris, & nulli peruia flammæ
Obducat nox atra Polos, loca diſſita noſtri
Immenſi tamen Imperij Sol igneus implet,
Surgentémque diem necquicquam aurora reducit.
Nunc tandem noſtro quod par ſit in æquore robur?
Omne fretum longâ velorum obtexitur vmbrâ.
Inſuper ipſa pedum fremitu tremit excita tellus
Eductura viros, quos natos tela ſequantur,
Denſa gigantæas debellatura phalanges.
Omne ſimul mecum robúrque, decúſque potentis
Europæ. Hiſpani duri bello, acre virorum

Germani genus, & fortiſſima pectora Belgæ,
Sarmaticique Equites, diuiſique orbe Britanni.
Vel mihi ſubiectos axis videt, ipſa per orbem
Inſignes æterna domus, vel iungit amicos.
Sed quid Afros tandem memorem, Parthóſque feroces;
Deuictúmque nouum bellis horrentibus orbem?
Quid referam argenti riuos, auríque metalla,
Quæ diues plenis exundat Iberia venis,
Prodiga mittit ebur præfulgens India, latè
Quidquid in humanos deſidero ſufficit vſus.
Dum ſolidæ forti conſtant mihi corpore vires,
Tótque premo populos, quænam inclementia fati
Has euertat opes, ſternátque à culmine tanto?
Auſtriaca externis tranſcribi Sceptra Colonis
Formidet quiſquam? non ſi cœlíque, maríſque
Exeat in me odiis aduerſa potentia, præſtet.
Imperiis leges cunctis figam, atque refigam.
Impatiens merito conſortis noſtra poteſtas.
Inuideat faſces aliis, & tradat habenas.
Vnum terra videt ſolem, videátque Monarcham.
Nec quæ diffideat noſtris ſit libera ſceptris,
Rerum extrema mouens, nunc memet in omnia vertam.
Experiar quæ fata meis contraria fatis
Induit vltro animos, & flammea lumina torquens,
Tandem exundanti permiſit verba furori.
Quid moror imbelles Indos, orbémque ſubactum.
Marte nouum? atque aliis incognita ſidera terris,
Imperium eſt Europa meum, ſolámque tueri
Vile mihi Heſperiam. Noſtrum Romana ſequentur
Signa iugum, quos Ganges alit, quos Rhenus & Iſter

Et

Et quacunque illis fortuna fidéſque, ſalúſque.
In noſtris ponunt gremiis & ſorte laborum:
Idem omnes ſimul ardor agit, gentéſque fatigat,
Sola cui indomito pridem ſub pectore feruet
Libertas, inimica mihi ſtat Gallia, ſed quæ
Vel quota pars orbis! Modicæ gens infima terræ:
Nec legum ſatis ipſa tenax, nec dura laborum.
Suſtineat paribus mecum certare trophæis.
Sed quid Marte parem veſanam exſcindere gentem.
In prædæ aut veniet ſortem circumflua luxu.
Aut propriis attrita malis, cúmque impete ſolo
Ducatur, non mente, vbi mox deferbuit æſtus.
Ille animi, fugit, hoſtilem & timet eminus vmbram.
Quin rabiem effrænam gentis vel gloria præceps.
Exitioſa Ducum frangit, liuórne vel auri
Sacra fames, modicæque rei, vel turpis egeſtas.
Sed fatis pugnétque manu, cùm ceſſerit omnis
Obſequiis Natura meis, ſubſidere tractim
Sub pedibus vidi montes, areſcere & amnes.
Et data iura mari? Cur non mihi ſeruiat vna
Gallia? Nunc quæcunque meo gens barbara niſu
Stringitur, adueniat, vitâ, vel morte tenebo,
Atque omnem Italiam ſceptris, armíſque tuebor
Præſidij quid ei reliquum? Quæ Rege ſub ipſo
Spes erit, vt fatis tot conflictetur iniquis.
En Regni partes omnes denſa agmina cingunt.
Deſerit, & ſtupefacta ſuas mihi Regia ſedes.
Tunc animis opus atque tibi ſacra purpura firmo
Pectore conſiliíſque nouis, atque arte magiſtra
Spiritus ille tuæ mentis vaneſcit in auras.

Quem calor abſumet meus, in nihilúmque reſoluet.
Ecce manus nobis victas traditque reuinctas,
Hæc fatur rebus nimium ſublata ſecundis.

Apologia Galliæ aduerſus Auſtriam.

At fortes ſtimulis ingentibus æmula Gallos
Exacuit virtus, ſpretæque iniuria famæ.
Diſſimulare nefas tantum nequit, atque reponit
Gallia belli altrix, bellatorúmque virorum.
Auſtria contemptrix externæ gentis, & orbi
Faſtu inuiſa ſuo, quæ cælum territat armis,
Arbitrióque parat leges imponere victo,
Cui quoque ventoſâ in linguâ Mars turgidus horret,
Æquo num tentet mecum concurrere campo,
Deſertam terræ molem adductura triumphis!
Immemor inuictæ gentis, quam nulla fatigent
Prælia, nec ſi victa, queat deſiſtere ferro.
Sed vincat quiſquam! cui toto pectore ſæuit
Martis amor! vi tuta ſua, lapſuráque tantùm
Aſtra tremit, ſidítque ſuo ſine fraudibus enſi,
Exilio mutare domos, & dulcia ſueta
Limina, ſúbque alio ſedes ſibi quærere ſole:
Pérque maris, vaſtæque exhauſta pericula terræ
Extremos mundi iuſſit patuiſſe receſſus.
Quid tentem ingentes oras euoluere rerum?
Diſtantes regione plagas, diuiſáque ponto
Littora, cúmque orbem iam vnis frænare voueret
Mœnibus vrbs patria, atque in leges Roma vocaret
Flos veterum, virtúſque virum, Dux Brenne, meorum
Fatalis quas non ſtrages, cladémque creaſti.
Aduerſam ferro gentem populatus, & igni?
Quis tecum inuictos conſpirantéſque tuliſſet?

Armorum inde metu Mars Gallice, quàm tua largâ
Sæpè manu, multíſque onerauit limina donis?
Sacratus quoties factus tibi Iuppiter Anſer?
Ille mihi miles populus qui præfuit orbi,
Qui trabeas, & ſceptra dedit; tibi victor ouanti
Aſſerit imperium Cæſar, gentíque perennat;
Heſperiæ, & reliqui concuſsis viribus orbis.
In facies quot ſe vertit Romana poteſtas,
Induperatores Romanæ ſufficit Vrbi.
Ipſa ſuo quoties ſpumantem ſanguine Tibrim
Vidit, & exhauſtas à noſtro milite vires?
Iam cogente acies Oriens in prælia Brenno
Suſtinuit? mihi præda fuit, diſcedere viſus
Ipſe metu, Æoliis voluit latuiſſe cauernis.
Feſſam armis Aſiam vt noſtris agnouerat orbis.
Quid reliquum? Gallis ſeruire nepotibus Afros
Par fuit, atque aditum quæſiſſe per auia iuuit
Ingentis Libyæ: quas non proſtrauerit alas
Attyla, quis iuncto memoret ſibi milite Gallo?
Si qua fidem tanto eſt operi latura vetuſtas,
Excidium Libycæ gentis cognoſcet & olim
Poſteritas, quantâ rerum perculſa ruinâ,
Et quam vaſtarit latos cultoribus agros.
Quid tandem, LODOICE, *tuos, ſanctiſſime Diuum.*
Conatus referam clariſſima gloria gentis.
Has tibi quæſitas ſedes pietatis auitæ
Conciliauit amor, durâ cùm prælia gente
Sæpius egiſti victor, ferróque laceſſens
Acrius effrænem certaſti viribus æquis.
Si tantis mihi ſit fas addere rebus honorem,

Eſt à ſtirpe nepos, qui nomen in aſtra recondet,
Cunctáque ſub pedibus quà ſol vtrumque recurrens
Adſpicit Oceanum ſubmittet, & ibit in omnes
Supremus caſus, atque hunc extrema manebunt.
Exitiis poſitura modum tot prælia Regem.
Ipſa ego quæ ſpatiis emenſa ingentibus orbem
Impleui terrore mei, atque in iura vocaui,
Ipſa eadem, vlla dies poterit tam fortibus auſis
Diſſimilem arguere? in caſus audentior omnes
Ibo, nec externæ prodam virtutis egentem.
In manibus Mars ipſe meis, ſi robore niti
Communi pro luce decet, ſe quiuis in hoſtes
Inferat, & pulchram properet per vulnera mortem.
Hæc tandem quorſum refero? ſuperata vetuſtas
Exceptio Galliæ ad ea quæ gens Auſtriaca obiicit.
Herculeos conferre meis non audeat actus.
Quid tandem genus antiquum, iactare ſuperbit,
Ingentéſque animos primo ſub limine verſat?
Latè orbem per ſæcla decem ditione premebam,
Cum domus Auſtriadum faſces attollere cœpit
Obſcuros, ſceptríſque vias anguſta recluſit
Diuiſis noſtri ſtudia in contraria votis
Imperij, & molem in nimiam porrecta reſedit.
Pérque orbem bacchata nouum, ſed ſtrage pudendâ
Sanguinis humani, addixit ſeruilibus armis
Vtque comes fuerat fortuna immanibus auſis
Erigitur fruſtra, atque trahit nunc prona ruinam.
Exceptio altera.
Nulla vacat ſed ei pars mundi, & tota tenetur
Terra ſuis, quocumque iacet ſub ſole, trophæis.
Scilicet vt quot habet zonas, tot & ambiat hoſtes.
Quam tua ſe magnum didit per inane poteſtas,

Inuoluítque ſuas nimio ſibi pondere vires.
Ceu ſtabulum, vacuáſque domos; ſic regna tuetur;
Credulus, atque iugi patiens deluditur orbis.
Deſertos terræ vulgus miretur hiatus,
Regia non iſtis titulis ſe vera poteſtas
Æſtimat, hanc potius permulta frequentia plebis
Illuſtrat. nitet vt ſtellis præfulgidus æther
Innumeris, lucémque trahit; ſic milite denſo,
Principibus variíſque ſuis intermicat omne
Imperij ſidus. numeret ſi protinus aſtra,
Subiectam nequeat nobis expromere gentem.
Corpore res numeroſa fuit mihi ſemper in æquo,
Inde etiam maior collectis viribus exit.
Iura mari at dat freta tuo, Neptune, tridenti. Exceptio Galliæ.
Et ſua iurati properant ad carbaſa venti.
Nauigat, vt multo portus cuſtode coronat,
Et noſtræ tremefacta metu, claſſíſque Bataua.
Quin ipſæ viſis tumuerunt puppibus vndæ.
Aduerſis Indus quoties vel inhorruit armis?
Sæpius & refugus vobis quam illuſit Hydaſpes.
Cum congeſta vehit ſecum granaria claſſis,
Quæ facilis mihi fundit humo, & iuſtiſſima tellus,
Tunc & aquas videas noſtras radiare metallo,
Auriferóſque amnes; nullum maris æquor arandum,
Nulla cruentato bibimus vel flumina ferro:
Conceſſo gaudet fructu vixiſſe colonus,
Semina ſi mandet; tum defoſſo incubat auro.
Ridet & Heſperidum quod ditat fabula ramos.
Ipſa ſatis mihi ſum, mea ſtat virtute poteſtas,
Oppoſito vt ſe Atlante tegat, ſoliſque receſſus

Obiiciat, cùm me tulerit dolor æquus in hoſtem;
Inueniam virtute viam, & ſe pondere victam
Sentiet illa meo, ſemper mihi campus, & arma.
Exceptio Galliæ. *Nec tantos mihi finge metus qui crimen acerbent,*
Nil mecum quidquam inualidum, metuénſque pericli eſt.
Indecores vllo nunquam defecimus ipſi
Tempore, quæ potuit ſemper vel maxima virtus
Eſſe, fuit. Noua moliri cùm infeſta ſubiret
Ambitio, Italiæ caput, & tot cauſa malorum
Vrbem armis, opibúſque grauem ſubuertere tentat
Caſalla. *Milite & aggeribus, geminorum corpore toto*
Regnorum certatur, nec data fortibus vnquam
Copia militibus maior famæ, aut magis vſquam
Eluxit dubio virtus exercita campo.
Quid tibi tunc animi? effætas, viréſque peractas
Ingemis, & campis alios regnare leones.
Ecce tui excedunt paſſim pro funere pulchro
Dedecorem amplexi vitam, reditúſque pudendos.
Illa tua in densâ vis magna obtorpuit vmbrâ,
Nilque Ducum mihi liuor edax decerpſit, & ardor.
Multa pati & didici tot iam labentibus annis.
Sparſa quidem vixi quondam, atque vt diſſona moles;
In corpus tamen, & vultum rediiſſe ſub vno
Principe multus honos, primæque elementa ſalutis:
Sed non idcirco flammæ, atque incendia vires
Indomitas poſuere ſuas, inuicta remanſi.
Gallia Regi. *Maxime Gallorum Ductor, digniſſima Regum*
Progenies, quibus, ô cœlo te laudibus æquem!
Iuſtitiæne prius mirer, bellíne laborum?
Clara rudimenta ortus dant fulcire labantis

Imperij molem, aſpectu ſtupuere rebelles,
Móxque ſuum vaſtatorem dum victor ad altum
Fulminat Oceanum deuexo poplite adorat
Hæreſis arbitrio malè dogmata parta reponens,
Iura mari, & victis imponit fræna Britannis,
Italicam ſternit gentem, Allobrogúmque ſuperbus
Cæde redit grato reſperſus puluere belli.
Núncque orbi pacis leges, bellíque miniſtrat
Arbiter, expectant aquilæ decreta iubentis.
Et Regem geminus te vindicat Herculis axis:
Quicquid ineſt patrij martis tibi ſume, labantem,
Auſtriadúmque domum, faſtúſque inerte ſuperbos
Obſequij mens vna meis, decernere ferro
Quos omnes amor vnus habet, multúſque perurit.
Eſt propior cœli tibi linea, dextera bello
Eſt inuicta ſimul, quiſquam te impune laceſſat,
Obuius ardenti vel fruſtra occurrere tentet!
Integrum tibi Mars decus, intactúmque relinquit,
Nec pacis, nec belli vnquam morientur honores.
Nunc Armande, ingens fama, aſt ingentior armis Gallia Cardinali Duci.
Gallorum Ductor, cui viuida Martis imago,
Quem memorem te. curæ omnis, caſúſque leuamen!
Conſiliis, armiſque tuis imponimus orbi
Arbitrio leges, meritò complexus in omnes
Res comitem Princeps, nullam ſibi te ſine laudem
Quæſitam voluit, te non ſudante triumphum
Non tulit, & cum nota illi tua maxima rerum,
Verborúmque fides, clari quoque pondus amoris,
Ante oculos, intérque tuam locat omnia dextram.
Atque vt ſe nunquam tanto iactaſſe Miniſtro

Viſus, ſic & ſi qua ſuper fortuna laborum eſt.
Conſiliis vigil, atque tuis tutaberis armis:
Eximium quondam rebus ſolamen in arctis,
Nunc ſine me hanc ſpem ferre tui, te ſoſpite noſtras
Acciſas nunquam fatear res poſſe videri.
Vtque mihi nullus fœlicior obtigit armis
Dux quoque maturo vel læta, vel aſpera rerum
Conſilio momenta regens, ſic proferam & vltra
Gangem ſceptra, ac extremis dominabimur Indis.

Gallia Auſtriæ.

Ergo agedum linguâ melior, quam viribus vllis
Tot regnatorem populis, terríſque ſuperbum
Deſerat, heu, quæ ſit me circum copia, geſtem
Auulſúmque humeris caput, & ſine nomine corpus?
Exardent ignes animo, ſubit ira relatu
Indigna vlciſci, & ſceleratas ſumere pœnas.
Ardet abire fugâ, dulcíſque relinquere ſedes
Princeps, cui feræ fuerint ad prælia vires,
Vel mollem, vel degenerem ſua fecerit aula:
Nuſquam animus Regi maior fuit, aut per aperta
Nunquam alius ſeſe diſcrimina fortius egit,
Et caſtris mutare vices, & ſiſtere gyros
Suetus, & in firmas aciem diſponere turmas,
Hanc illi primam laudem non inuidet orbis.
Nunc, Dux Celſe, Armande, inſit diuinius vlli
Ingenium, aut fato rerum prudentia maior?

Gallia Cardinali Duci.

Altá pace bonus, dubiiſque timendus in armis,
Tres omnéſque Duces Mars te compleuit in vno:
Tu Fabius mihi, tu Marcellus, Scipio & ipſe,
Cunctaris, vincíſque manu, victóſque relegas.
Sic murus, ſpes, præſidium, columénque, ſaluſque.

Par

Par his ille ardens oculorum ſplendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aëra vultus.
At tua quæ ſupra mortales gratia, vincit.
Quam micat in pulchro quoque corpore ſpiritus ingens
Et grauis inceſſus, virtus quem multa ſerenat
Atque oris decus, huc oculis, huc mente vocamur
Certè ingens, te, opus artificis ſpectamus in vno
Naturæ, atque eadem poſt hæc miracula, laſſos
Ingenio reddit viſus, non largius vnquam
Quippe ſibi indulſit, quid nunc ingentia mirer,
Cœleſtes tanta hæc imitantur pondera vires.
Atque hic vincatur quem nunquam feſſa remiſit
Officij virtus, contráque minantia fata
Peruigil, inueniat facilis quæ mente gerenda,
Et faciat patranda manu; quot nube ſoporis
Immunes oculi, fraudes quàm callidus omnes
Obuertit; pelagi, cœlíque obnititur iræ.
Viue diu, & tanto tumeat mea gloria alumno.
Nunc alias vires, conuerſáque fata videbis
Auſtria, nunc mutata fidem fortuna nouauit
Viſceribus mediis, ipſóque in corde cruenta
Bella geri video euentus habitura ſecundos
Nil metuens hoſtile mihi, concordibus atque
Præſidiis firmata meis Duce ſoſpite Regno.
Legem orbi diſces Gallos, & iura daturos
Vt Phaëton ſimili bacchatur crimine, quiſquis
Gallorum aſpirat ſpoliis, vt ſolis habenis.

DE VAVCHELLES P. P. P.

De Illuſtriſſimo & generoſiſſimo

CARDINALE RICHELIO,

SVMMO REGII PER ITALIAM EXERCITVS IMPERATORE.

DVM IVSTI *inuictis* RICHELIVS *imperat armis,*
Victa inimicorum tum pede colla premit.
Dum precibus, ſuperis RICHELIVS *imperat aſtris,*
Flectit propitios ad ſua vota Deos.
Sic magni Herois, neque enim ſine numine Diuûm,
Hoſtes arbitrio ſtántque cadúntque ſuo.

AB. SAM. SC. F.

DE ILLVSTRISSIMI CARDINALIS DE RICHELIEV BENE GESTIS.

CARMEN.

COECA *vale fortuna, bonis bona noſter Apollo*
Influit, & meritis præmia iuſta refert.
Sacra ſacris reddit, generoſo milite complet
Caſtra, duces ratibus præficit intrepidos.
Hinc Rex expectet deuicto ex hoſte triumphos:
Dedecus hinc referas ſaue Britanne domum.
Aurea iam ſperent, illo duce, ſæcula Galli,
Quo conſtant cœli iura ſoli, atque ſali.

CITOYS.

EMINENTISSIMO
CARDINALI RICHELIO;
ODE.

VNDA leuauit melliſluâ ſitim,
Percuſſa Rupes, cùm nemus aridum
Deſertáque errans, diu negatis
Fluminibus populus periret;

Sic ſic petitum dat ſitientibus
Rupella flumen, tactáque fortiter
Dudum negatam præbet vndam,
Et lachrymis penitus liqueſcit;

Percuſſa ſceptro, flumina comprimit
Sed pulſa fluctus conſilio dedit,
Et quos recuſauit tot armis
Subdita iudicio relaxat.

Virgâ procellas Legifer exprimit
E Rupe Moſes; & RICHELEIVS
Expromit vndas non remiſſis
Sollicitudinibus Ropellâ;

Rupes ſoluta eſt; ingenio quate
Montis cacumen, fac proprium tibi
Albane nomen, fac ſecundis
Fluminibus ſatiare Gallos.

A. L. G.

AD ILL^{MVM} ET REV.^{MVM}

CARDINALEM HERMANNVM IOANNEM PLESSEVM DE RICHELIEV.

HAS Sophiæ gaudentis opes Tibi Muſa Latina
Fundit (Romanæ gloria prima Togæ)
Grande decus patriæ, Columen, culménque bonorum,
Luſſoniæ lumen, Richiliæque domus.
Quod geſtas, decorant ſacri diadema Galeri,
Mentis & ingenij ſplendida dona tuï.
Par animo Genius, Genio par Gloria, Sceptri
Munera poſt Regem nobiliora geris.
O quantum dilecta Deo, Dîs proxima ſummis.
Virtutis rutilat laúſque, decórque tuæ.
Seu belli verſas, ſeu pacis iura per Orbem,
Mox Pitho in labris purpurat alma tuis.
Seu te Relligio poſcit, ſeu maxima Regni
Pondera, ſiue poli munera, ſiue ſoli:
Exacto tibi mentis apex libramine fixus
Omnia diuina cum ratione regit.
Publica priuatis, ſecernit ſacra profanis,
Iuſtitiæ ad normam conciliare docet.
Sunt Comites Charites, tibi Muſæ in pectore plaudunt:
Mellifluo blandus manat ab ore lepos.

Hinc te Relligio, varij hinc molimina Regni,
Hinc patriæ Genius, publicą cura premit.
Cùm graderis placido veneranda modeſtia vultu
It Comes, & dulcis cum grauitate modus.
Regis ad eximium decus, ampla negotia Regni
Incumbunt humeris pondera magna tuis.
Ingenio, Genióque potens ciuilia tractas;
Par Animo mentis lingua miniſtrat opes.
Sit fauor ingenij pretium, ſint præmia laudi:
Quippe quòd ingenio ſtat ſine morte decus.
Viuitur ingenio æternùm, poſt funera fama,
Et benefacta hominum nulla fauilla rapit.
Próque bonis Muſæ tribuent æterna caducis,
Nominis ac famæ iúſque, decúſque tuæ.
Accipe Pieridum latices, æternáque dona
Officij, affectus pignora prima mei;
Interea maiora tibi grauiore cothurno
Dum parat aſtriferi noſtra Thalia chori.
Fortunæ ſociata tuæ Prudentia Diuæ
Eniteat, Cœli qualis ab arce decor.
Tam Regalis amor, quàm te tua ſancta Tiaræ
Ac patriæ moueat cura, ſalúſque tuæ.
Sic Regi, atque Deo, & patriæ ſua iura litando
Apſidis imperij culmen vtrumque tenes.

D. S.

EIDEM
EMINENTISSIMO CARDINALI.

GALLORVM decus eximium, cui nomen auorum
Et virtus claro lumine celſa micant;
Quàm benè te tantis inſignem dotibus Almi
Os voluit ſacrum Principis eſſe Deus,
Quàm benè ſceptra tenens te non ſine Numine legit
Rex, quo curarum grande leuaret onus;
Qui Regnum Regémque colis, ceu natus vtrique,
Magnanimus, fidus, conſilióque potens.
His ARMANDVS *eras armis, his Principis arma*
ARMANDA *vt Regni lilia tuta forent.*
His ceſſit mare rauca fremens, ceſſêre Leones,
Caſaliis oris pulſus Iberus abiit.
His quoque ciuiles motus lacrymoſáque bella
Compreſſa, & patriæ pax data grata tuæ.
Inde triumphantis Populi iam Regis vbique
Suſpiciunt armis arma tremenda tuis.
Námque hæc portendunt alia, & maiora parantur,
Nec fruſtra ARMISONVM *nomen & omen habes.*
Quid ferus Auſoniis raptas Germanus in aruis
Oſtentans Aquilas, Celtica ſigna, fremit?
Quidue ſuos Aquilis iterum iungente Leones
Heſperia, Gallam Mantua poſcit opem?
Nempe tuis armis ſupereſt vt tuta triumphet
GALLICA *de gemino* CRISTA *Supercilio.*

I. GAVDINVS

AD ILL^MVM ET REV^MVM D.

D. CARDINALEM DE RICHELIEV.

CARMEN.

DICITE Pierides, qui nunc mea pectora verſat
Vnde furor? quonam inſolitus me raptat Apollo?
Ipſe iubet Themidis Phœbus diſcedere templo,
Cui reliquos ætas iam noſtra ſacrauerat annos,
Et veſtras refugum bacchari cogit ad aras:
Dúmque docet, quantum noſtro virtutibus æuo
Addideris decus: O Rerum tutela ſalúſque,
O decus: ô ſine te ruituri gloria Regni!
Inde mihi furor, hoc arenti Carmina vena
Exprimit, & meritæ dictat præconia laudis:
Nam tantum mirata virum, mens rumpere vocem
Cogitur, & iuſtas virtuti dicere laudes.
Vt miſera de plebe virum, ſi quando potentis
Intrarit penetrale domus, quo regia princeps
Fortunæ monumenta ſuæ congeſſerat, illum
Inſolitus rerum ſplendor rapit, hinc noua ducit
Gemmarum facies, illinc fulgente metallo
Vaſa trahunt oculos, doctique toreumata cæli,
Donec ſpectantis ſtupor ipſe ſilentia ſoluat,
Nec poſſit tantis opibus mens victa tacêre.
Quiſnam adeo auerſus Muſis, & Apolline læuo,

Cui non ingenium faciant miracula laudis
Tanta tuæ. In noſtros animus demittitur artus
Æthere, qui quamuis mortali pondere preſſus,
Plurima cognati retinet veſtigia cœli:
At quotiens animus magnos ſubiturus honores
Mittitur in terras, magnis nec honoribus impar
Sidera amica fouent, ſe ſéque benignius illi
Indulget cœlum, láxque illum purior implet:
Sic tua cùm nondum caluiſſent pectora vita,
Qui regit informátque tuos nunc ſpiritus artus,
Cœleſtes meritis iam cenſerat ille fauentes:
Et tibi certarunt proprias infundere dotes
Diſpenſant quæcumque ſuos naſcentibus ignes
Sidera, non vlli fulſerunt largius aſtra
Mortali, inde tibi, tantarum lumina rerum:
Quis Deus è nihilo totius ſemina mundi
Ediderit quondam, factum quis temperet orbem.
Cuî trinúſque vnúſque ſimul, cur nec Trias vnum
Excludat, pereat numerus nec Monade trinus,
Cuî potuit noſtro concludi corpore numen:
Myſterium quodcunque fides nos credere iuſſit
Hoc tibi ſcire dedit, quæ vix arcana doceri
Angelici potuere chori, mentis tamen illa
Luminibus patuere tuæ, quæ neſcia vinci
Admiſere diem, quem mens obtuſa recuſat
Cœlicolum: doctus cœli prænoſſe furores,
Iratúmque ſuæ dominum prædicere genti
Solers, & lacrymas perituræ indicere plebi,
Et veniam precibus populo exorare dolenti:
Ah quoties ſuperi fulmen poſuere paratum,

Et

Et culpis veniam plebis tribuere nefandæ
Euicti lacrymis ! ſacro tua lumina rore
Ah quotiens meriti vicere incendia mundi!
Nec te tam dulcis potuerunt otia vitæ
Detinuiſſe ſibi : noſtri tibi cura labores
Ingerit , atque hominum iubet inſudare medelæ :
Indicis bellum vitiis , in crimina pugnas
Eloquio , armatæ iaculantur fulmina voces :
Pectora non illis calybum compacta metallis
Obſtiterint , licet induerit iam marmora menti,
Et totam cœli lucem conſumpſerit vſus
Continuus ſcelerum , voces tamen illa ſequetur
Victa tuas , & te cœlum monſtrante videbit.
Si quando medico morbi vis grata repugnet,
Vulnera vel ferrum fugiant metuentia tangi,
Aſpera tunc prudens molli medicamina ſucco
Temperat Eloquium , nec habet medicina dolorem.
Quid tua cùm domini partes doctrina tuetur
Cogitur & quicumque fide deſciuit ab vna
Errorem inuitus te confutante fateri.
Doctrinam Pietas an vicerit illa ſororem
Incertum eſt , parili veſtit tibi tempora fronde
Vtraque , & alterius gaudet ſplendeſcere laude,
Et miſcere ſuas , patres ea fama , ſenatus
Purpurei numero , tantum decus addere iuſſit,
Atque tuis ornare ſuum virtutibus oſtrum.
Sed tua non illic virtus ſtetit , altior illi
Scopus erat , meliúſque aliquid tua fata labanti
Debebant orbi , rerum tibi tradit habenas,
Non Dea quæ cæco conuoluens omnia motu

N

Immeritos ſubitis plerumque fauoribus auget:
Nil debet fortuna tibi: melioribus illum
Auſpiciis, Princeps iuſſit ſuccedere clauo:
Nam quamuis nullus LODOICO *flectere clauum*
Doctior, aut pugnare hiemi prudentior alter,
Vela negare nothis, aut totam credere puppem
Fluctibus, & velis auras captare ſecundas,
Et pelagi nouiſſe fidem, non arte regendi
Ceſſerit ille viris, quorum mirata vetuſtas
Perpetua æternis ſacrauit nomina chartis:
Non tamen illius ſociam aſpernata laborum
Tam doctam iunxiſſe ſibi Prudentia mentem.
Sic quamuis nondum vires laſſauerat ingens
Pondus, & immanes humeros nondum Aſtra grauarent
Depoſuit lætus mundum ceruicibus Atlas
Herculeis: vtroque nihil rectore timetur,
Non ſyrtes, non ſaxa mari quæ plurima toto
Cæca latent vndis, miſeræ metuenda carinæ:
Ipſe vides cælis obſcura quid aſtra minentur,
Quid pontus ferat, & varius quid præparet aër:
Sic ſecura tenet curſum ratis, & noua ridet
Prælia ventorum, noſtris ſeu natus in oris,
Siue aliis miſſus regionibus, otia ventus
Vndarum turbare fremat, non Æquore tantum
Noſtro, verùm etiam toto quoque cedere cælo
Cogitur, & moto pacem donare profundo:
Non etenim vna ſolet fructu gaudere laboris
FRANCIA *noſtra tui, totus ſibi vindicat orbis*
Hoc mundi commune bonum, quem lege ſub vna
Occupat, atque vno vinxit ſub nomine CHRISTVS.

Si quando facibus populi caluere furorum,
Mutuáque exitium cum gentibus arma minantur,
Vnus tu tantos poteris componere motus,
Atque iterum iratas in fœdera cogere dextras:
Ipſe fugit quotiens fulget tua purpura Mauors,
Et ſua miratus tibi cedere numina ſentit:
Non populis ignota cano, teſtis Ligus ora,
Alpinæque niues, poſitóque Hiſpania bello,
Te canit agricola, Eridani qui proxima ripæ
Arua colit, lætúſque tibi ſudare ſorores
Aſpicit, inque tuos ſua ſuccina ſeruat honores.
Sed quò blanda trahit tantæ me laudis imago?
Non noſtram ſi tota ſitim ſedauerit vnda,
Quæ ſolet Aonios animo inſpirare furores,
Noſtráque ſi toto quatiantur pectora Phœbo
Enumerare queam quantum tibi debeat orbis,
Ponere virtutum populis exempla tuarum,
Nec mea te totum deſcribere pagina poſſit,
Carminibus quin plura meis ſupereſſe notentur,
Et verſus ornare meos, & digna referri.
Vt picto ſi fortè puer ſpatiatus in horto,
Plurima cui ridet naſcentis gloria vêris
Tantas carpere opes, & nulli parcere flori,
Et totos rapuiſſe ſoros optauerit, illud
Sed numerus negat, & fœcundi copia ruris:
Sic mihi præcipuos ſatis eſt decerpere flores,
Nec tentare vacat laudum ornamenta tuarum
Cuncta ſequi, & vano muſam laſſare labore:
Præcipuas inter dotes vel maxima fulget
Aduerſis ſpectata fides, quæ lumina noſtra

Detinet, & grato finem negat vna labori:
Scilicet vt quondam terris irata relictis
Ad patrios fugiens Aſtræa receſſerat ignes,
Alma fides inuita fugam comitata ſororis
Numinis exilio miſerum damnauerat orbem;
At nunc diua tuo poſuit ſub pectore ſedem,
Moribus inque tuis redeuntia numina fulgent:
Non oculos poterat virtus occulta latere
Auguſtæ, tenet illa hominum deprehendere mores,
Scrutaríque ſinus animi, fibráſque latentes
Excutere, & mentes ad tanta negotia natas,
Apta miniſteriis tantarum pectora rerum
Senſerat, illa tuis natum virtutibus vti
Juſſit, & integram Regni tibi credere molem:
Conſiliis nunc ille tuis fœlicia nobis
Tempora, quæ fuerant mundo naſcente, reducit,
Ferrea cùm nondum violaſſent ſæcula terras,
Candida ſed primo radiarent ſæcla metallo:
Ille tibi primos animi committere ſenſus,
Arcanáſque tuo ſolitus diſponere curas
Arbitrio & Regnum te præcipiente tueri.
Conſilio ſed nota fides non militat vni,
Creditur huic, quidquid deponi tutius optat,
Siue ducem quærat populum domitura rebellem,
Aut hoſtis primos arx exceptura ruentis
Conatus, vrbis vel ſuſpicioſa potentis
Præfectura vacet, populus te reſpicit vnum,
Committíque ſuæ gaudet tibi clauſtra ſalutis.
Sed ne ſola tuo frueretur terra labore
Ipſe tuum geminis ſenſit Neptunus in vndis

Auxilium, tutúmque tuis ſub legibus æquor:
Nauita ſecurus totum circumuolat orbem,
Diuitiáſque maris toti circumuehit orbi:
Pirataque truces, hoſtiliáque arma profundo
Nuſquam: pacato fugêre pericula ponto
Præſide te, ſolíque cauentur in æquore venti.
Quod ſi fortè maris temeraria ſoluere pacem
Auſa ratis, partámque ſali violare quietem,
Nil opus eſt ferro, leges ſatis vna tuetur
Æquore majeſtas, & tanti nominis vmbra.
Vt ſi fortè truces rapuerunt æquora venti,
Vndarúmque velit flatus compeſcere rector
Et frænare notho, non intorquere tridentem,
Aut armare Deos pelagi, ſedare furores
Sufficit Æolios ſacri reuerentia vultus:
Cùm primum iratum motis caput exerit vndis,
Æquore diffugiunt, & iuſſa ſilentia ſeruant.
Tam longas emenſa vias iam quærit arenas
Æquore laſſa ratis: ſed ſi Deus otia muſis
Reddiderit quæſita meis, & libera vitæ
Tempora, & inſanis vacuum ſine litibus æuum,
Nulla olim laudum mihi pars indicta tuarum
Exciderit, patriis inſcribam nomina ſaxis,
Ipſe pater tanto celebrari nomine ripas
Gaudebis DVRANI, *& Nymphas meminiſſe iubebis.*

E. D'AIMERIQVE.

IN ILLVSTRISSIMI CARDINALIS RICHELEI

fœlix fortunatúmque de Rupella obſidenda Conſilium.

VIRGÆ contactu Moſes de Rupe liquores
Traxit, & hac cautes arida fudit aquas.
Detraxit Rupi, lituo, RICHELEIVS vndas;
Sic mediis Rupes quærit aquas in aquis:
Quod dat Is Hebræis, rapit Iſte Rebellibus; atque
Arte pari obſeſſos Is leuat, Iſte grauat.
Ne mirere! Pios leuat Is; grauat Iſte Rebelles,
Et tamen Idem ambos Numinis ardor agit.
Sed mirere magis! virgæ vt contraria virga eſt,
Abſtulit illa ſitim, contulit Iſta famem.

CAROLVS DV SAVLT.

EMINENTISSIMO CARDINALI DVCI DE RICHELIEV.
SOTERICVM.

SOSPES ades, cupidæque refers tua lætior vrbi
Ora: velut grauida Titan cum nube laborat
Auricomos radiis vultus educere, pugnant
Contra imbres denſi, & noctis caligo profundæ:
Eualuit donec, glomeratáque nubila flammis
Diſpulit, aut latè pluuiam diſſoluit in vndam.
Tu quoque (nam furuis morbus conſederat alis
Circum illuſtre caput) nunc multa luce decoram
Cæſariem oſtentas, fugiunt è pectore motus,
Pallentéſque metus, redeunt plauſúſque iocíque,
Cúmque ſalute quies, dum mens ſe ſe explicat omnes
Libera per curas, & in vno pectore iactat
Quantum priſca virum ſapientum ſuſtulit ætas:
Nempe tuis deerat fatis, quod Iuppiter author
Nunc ſanctum eſſe iubet, magnæ cum Neſtora mentis
Conſilio exſuperes, & vitæ tempore vincas.

LVDOVICVS CRAMOISY.

AD ILL^MVM ET EMINEN^MVM

CARDINALEM DVCEM RICHELIVM TRIETERICA,

SIVE

RES EIVS CONSILIIS REGIS Auſpiciis, triennio geſtæ.

SVPPLICIBVS Procerum frigere ad limina chartis
Infælix Muſas pecus, & trepidare repulſam:
Eſſe Iouem iratum, miſeríſque inimica Poëtis
Numina, Mæonias & mendicaſſe Camœnas,
Omnibus auditum eſt. Quæ tanta audacia vatem
Impulit, innatum generi neſcire pudorem?
Appellare Deos, & grandia nomina Regum,
Et formidatas irrumpere gentibus aulas?
Quiſquis is eſt, fruſtrà iam non noua venditat arma,
Et ſua iamdudum commiſſis claſſica ſignis,
Seráque cantatis obtrudit carmina rebus.
RICHELIVS *ſacri decus immortale Senatûs,*
Par animus ſceptris, Muſæ nunc orſa rogantis
Audiet, & iuſtas his Principis imbuet aures.
Vt nec iniqua ſinant diteſcere fata Camœnas,
At melior fatis, profugo Rex portus & ara
Eſſe velit Latio, & ſortem leuet ipſe malignam.
Si non æternus nequicquam huic ſudat Apollo,

Deui-

Deuictúſque orbis, tantarum & gloria rerum
Inſignem toto vatem conducere mundo
Tempus, ait, domitas Regi qui perſonet Alpes,
Qui canat Oceani conſtrictas obice fauces,
Neptunúmque ſuo vetitum ſuccedere portu,
Auxilia obſeſſis fruſtráque alimenta parantem:
Excluſi incluſos cùm mœſti è claſſe Britanni
Adſpicerent, vrbémque capi, nihil vſque ſuorum
Mortibus effectum, queis nuper & Inſula penè
Capta, per ingentes extorta eſt ſtragis aceruos.
Vt non hîc ſteterit Mauors, metáſve laborum
Fixerit: infeſtâ nam vix reſpirat ab Arcto
Gallia, cùm noſtras infœlix Mantua dextras
Implorat: longo, grauis hæc Prouincia, bello
Iam feſſis, inſeſſi aditus, ingentia clauſtra
Italiæ, medióque fides haud Principe tuta eſt,
Qui ſtruet inſidias vafer & pro tempore finget.
Vix tamen adſpexit victricia territus arma,
Inuitus dat iter, primâ & decedit ab Alpe.
Hinc ſparſus terror vallatum liberat hoſte
Caſalium, fugit omnis Iber, dedíque propinquam
Inuicto miles frumenta importat in vrbem
Præſidio: hîc Regem lætis ſuper æthera vectum
Vocibus Auſoniæ, nomen titulóſque ferentem
Vindicis Heſperiá in tota, ciuilia rurſus
Bella domum reuocant. Rhodani trans flumina namque
Montium inacceſſis retrò ſtabulata cauernis
Attollit caput, & conciſa renaſcitur Hydra
Cautibus abruptis, genio & confiſa locorum,
Peſtifero veniens etiam quam flauus ab Auſtro

Nimbus alit: dúmque hæ generoſa incœpta morantur
Relliquiæ, Hiſpanis iterum præcingitur armis
Caſalium; tum cui proauito admurmurat amne
Mincius, hoſtili ſe clauſum indagine ſentit
Sideris infauſti Princeps, cui Cæſaris ira
Quod punire velit ſola eſt in origine crimen.
Terrarum domini tres, certam haud fœdere iuſto
Vnius in miſeri conſpirauere ruinam,
Concordes odio noſtri, quos vnus & omnem
Suſtinet Europam Gallus: nec prouida magni
RICHELII *quamuis hærens fortuna fefellit*
Conſilia: vnius tanto eſt ſolertia rerum
Par oneri. Rex auſpicia huc Diuóſque ſecundos
Attulit, hic curas atque altæ robora mentis.
Germanas aquilas infirmo hærere volatu
Eridani ad ripas, Hiſpana ſeneſcere ductu
Famoſi Liguris tandem quoque vidimus arma.
Ille ſua mœrens nihil oſtentaſſe ſuperbum
Italiæ, fælix bella in longinqua, domíque
Extremo vitæ velut actu inglorius, vltrò
Deſpondítque animum, rerúmque reliquit habenas.
At ſenior Dux Allobrogum, fax vnica belli
Conſiliúmque ſuum ſerò, & tot iacta malorum
Semina, maturæque etiam irrequieta ſenectæ
Tempora damnauit reputans: exutus auitâ
Penè iterum ditione miſer, mox corpore in ægro
Allobrogis Liguríſque, ægrâ quoque mente, duorum
Cum gemitu fugit vita indignata ſub vmbras.
Ergo ſub Autumnum longa obſidione moratus
Ceſſit Iber, poſtquàm propiora admouimus vrbi

Caſtra laboranti, quadratæque impete certo
Proceſſere acies, nec detrectare poteſtas
Prælia. non, maior numero, non, aggere tutus
Terrifici ſpeciem tulit agminis: ocyus vrbem
Linquere penè ſuam mauult, quàm cernere ferro.
Siue metum toties noſtrorum cognita virtus
Jncuſſit, quos nec montes nec flumina tardant,
Siue per ancipitem ſignis prudentia martem
Ire negat, quod par non eſt diſcrimen vtriſque,
Non æqua eſt ratio, dubióque hæc alea ſecum
Jnſubres trahit euentu, ſuſpectáque magni
RICHELII *cunctis veniunt nunc gentibus auſa,*
Quæ non impatiens vinci iámque ipſa timere
Vel fortuna queat, tanta eſt vis pectoris alti!
Quòd ſi præterea duo tales noſtra tuliſſet
Terra viros, veteris domini ſub iura rediret
Cantaber, & verſis lugeret Iberia fatis.
Pollice libantem parco faſtigia rerum
Quas noſtra eſt mirata, ſequens mirabitur ætas,
Plurima prætereunt: grandi meruere cothurno
Iſta cani, vimque & Patauinæ lumina poſcit
Hiſtoriæ, tanti ſeries operoſa laboris.
Sed cùm funeſti placidos vicinia belli
Excierit pariter Venetos, guttáſque cruentus
Iam Padus Adriacis rubras adſperſerit vndis:
Facundi quondam tractus vtrimque ſilebunt
Ingenia in caſu patriæ, non Liuius alter
Surget ab Euganeis, nec deſolata Maronem
Mantua ſufficiet: quem vel fortuna vel ætas
Exæquat magno, Regem ſua Gallia vatum

Scriptorúmque ferax etiam virtute priorem
Dicet Alexandro, externi nihil indiga cœli.
Hoc quoque Pellæus minor eſt, quòd cætera fœlix
Aonidum penitus ſterili regnauerit æuo.
Quamuis antiqui manes veneratus Homeri,
Pergamáque inſiſtens tanto præcone beatum
Dixerit Æacidem, claris immenſa daturus
Præmia, vel totas vrbes vel regna poëtis
(Munifico ſi dignum animo quid ſæcla tuliſſent)
Non tamen inuenit vatem qui Bactra vel Indos
Conciperétve altum ſublimi pectore Gangem,
Vnus erat, gratum quem tunc penuria fecit
Chœrilus: at genere hoc iam non eſt vilius vllum
Jn terris, nimio precium quia copia tollit
Prouentu, indoctíque placet ſibi ſæpius author
Carminis, & toti maleſanum ſinciput addit
Contemptum generi, vacuóque haud parua laborat
Pars cerebro: infœlix ars tandem nomine ſolo
Ridiculos homines fecit, iam præmia nullus
Expectet, ſat erit nec damna manere Poëtam.
RICHELIVM *magnis belli pacíſque verendum*
Artibus, & validis infractum Atlanta ferentem
Res Europæ humeris, hac tempeſtate Camœnas
Reſpicere, & Sophiæ faciles aduertere vultus
Spes fuerat, ſciſſi niſi res componere mundi
Iam labor, & cæcos inſtet pacare tumultus:
Hæc ideo certatim alacres ſpe carmina dicunt.
Viue diu fœlix, Heroum maxime, tecum
Communes Regni noſter partitur habenas
AVGVSTVS, *tantóque à Rege ſecunda poteſtas.*

Incedis : tibi perpetuos ſapientia faſceis
Vna dedit, lictórque vno tibi longius anno
Coget adorantes virga decedere turbas.
Te tellus fretáque agnoſcunt, atque æquore toto
Neptunus proprij ceſſit tibi iura tridentis.
In latus Arctôum ſua ſubditus oſtia pandit
Sequana, & Armoricis iamdudum in portubus ingens
Inſtruitur claßis, ſocio quæ fœnore poſthàc
Gallica per totum commercia proferat orbem.
Inuentum res illa tuum : namque arua beata
Sortiti patriæ, & fœlices vbere glebas
Hactenus externis compendia quærere terris
Spreuimus in commune, nec vt, Cererémque malignam
Hiſpanus, ſteriléſque ſoli pertæſus arenas
Ieiunam incertis vitam commiſimus vndis :
Nec maria emenſos per mille pericula, fuluis
Montibus, infoßóque fames nos appulit auro.
Si quando libuit maioribus ire per altum,
Auroræ populos viſendi ſola voluptas,
Atque peragrati quæſita eſt gloria mundi;
Hac etiam noſtræ nec parte induſtria gentis
Ceſſabit, numero naues æquamus Iberas :
Implentur ratibus portus in vtrumque paratis.
Si pax Europam tranquillâ afflauerit aurâ,
Remigio dites alacri luſtrabimus Indos.
Sin ſuper ambiguo moueat certamina Mauors
Imperio, armatum ſternemus claßibus æquor.
Iacopolis tua iuſſa facit, tot littoris vrbes
Santonici, atque erepta feri de faucibus Angli
Inſula Pictonici domitrix maris : illa iacentes

In terram defixa oculos Rupella, ſolóque
Conſiliis æquata tuis, tibi maximus vnde
Famæ viuet honos in poſtera ſecla, nec alter
Maius ab euerſa tulerit Carthagine nomen
Scipiades, captâ nec plus ſibi Græcia Troiâ
Plauſerit, æternos quàm nunc tibi mater honores
Gallia & exciſæ præconia concinit Hydræ,
Relligióque aſſerta ſuum te iactat Achillem.
O! quantis terras & amicum obſtrinxeris olim
Muneribus cœlum! namque & de ſedibus illa
Æthereis illapſa tuæ ſapientia menti
Non aris per te propriis, non æde carebit.
Sorbonæ, huic, mediis habitanda palatia tectis
Exſtruis, vt princeps illâ ſe iactet in aulâ
Laxior, haud luxúve fluens, aut freta caducis
Rebus, & inſani captans ſpectacula vulgi.
Sed turbis procul vt noſtris imperuia regna
Senſibus, & ſolos animarum cogitet orbes,
Monſtret iter cœlo, vitæ & ſperanda futuræ
Præmia, & arcani referet penetralia mundi.
Gratia pro meritis tibi ſi reſponderit impar,
Obrutus ære tuo ſi conturbauerit orbis,
At memores faſti, & tua terris dìdita fama
Te longùm, cœlóque manet certiſſima merces,
Quò redeas Pyliis vtinam tu ſerius annis.
Pro te multa Deos, grex te ſed Apollinis vnum
Poſcimus, intentæ releues vt pondera mentis
Interdum ad dulces furtim ſecedere Muſas,
Quò vegetus regi viuas, regnóque paratus
Semper, & acciſis hominum ſuccurrere rebus.

NIC. BORBONIVS.

EMINENTISSIMO
ARMANDO DE RICHELIEV
TRIPLICI STEMMATE, GALERI
Coronæ, Anchoræ, Cardinali, Duci,
Thalaſſiarcho.

LILIGERÆ tutela ratis, columénque Senatus
Purpurei, centúmne ſonans tua limina circum
Fama tubis, audire ſinet trepidantis auenæ
Carmen & anguſtos poterit deducere nutus
Lite ſuper, curis interque venire profundis?
An potius quæ fatales iubet Arbitra leges
Vnde cadunt aut ſtant populi, Mens, quantus es, ipſum
Te tibi tota dabit, propriiſque aduertere donis
Quos Orbi præbes oculos? age, lumina flecte,
Pectoráque indomitis Regnorum exercita curis,
Contemplator opes, & quas aut Regia dotes
Dextra dedit, totóve ſinu natura profudit
Enumera, & tantæ meritum virtutis honorem
Solue tibi, te te ipſo ingens minus æſtimet Orbis,
Non ſuperi poſſint melius qui cuncta dedere.
Nam quibus eſſe tibi potes admirandus, Apollo
Et Charites, quando inter ſe committere pergunt
Exarſere animis, perculſus pondere rerum
Phœbus, in arbitrio non conſtitit, increpat ardens
Euphroſynen Aglaia, ſinus depicta Thalia
Floribus, alterutri certare parata ſororum eſt.
Pendet adhuc lis ambiguo ſub Iudice, nulla
Dum vinci patitur, viciſſe putaueris omnes,
Vſque adeo cenſura placet vel cauſa probatur

Cuique ſua. Euphroſyne certè mage tangitur oſtro
Hæcque refert. Rerum Reges, Regéſque ſacrorum
Imperium commune ligat, par purpura veſtit,
Ac velut illuſtres micat inter prima colores
Prima tua eſt cunctas inter ſic purpura: riſit
Blandùm Aglaia, manúque tenens rutilante coronam
Oſtentánſque Ducem, multos, ait, ambiit iſthuc
Stemma Pares, peperítque ſibi mea Gallia multos.
Aſt ætas tibi nulla parem túlit, aut feret olim.
Nempe choro Parium deerat cui prima darentur,
Hæc ARMANDVS *habet, numero Dux impare par eſt*
Sic canit, & roſeo ſimul excipit ore Thalia.
Argumenta mei vultis firmiſſima iuris?
Anchora dat, non illa ſolo non turbine fertur
Deſpectura minas Cœli, pelagíque furentis
Franciadûm fundat puppim, quin Italis ora
Et Templum iam Roma Deûm deſpexit Iberos
Hac firmante metus, quâ ſe caput extulit orbis
Non feret hæc meritæ præ cunctis præmia palmæ.
Talia dicta dedit, voluit quoque vincere; pugnant
Germanæque Deæ, & ſortes ſua Numina fallunt.
Tu dotes expende tuas, meritóque repone
Quámque loco: de te ſoli tibi dicere fas eſt.
Nos tenues, inter decoris miracula tanti
Attonitis hærere animis licet, oráque ſacro
Preſſa tenere metu, ſin alta ſilentia iuſsi
Rumpimus, hæc terras latè vox impleat omnes,
Et ſtudiis reſponſet ouans regalibus orbis.
Ter gemina vnus habes mundi iura, Anchora Pontum,
Tutelam diadema ſoli, dat purpura cœlum.

C. G. P.

SACRO HEROI,
Nobiliſſimo Domino
D. ARMANDO
IOANNI PLESSÆO
ILLVSTRISSIMO,
CARDINALI DE RICHELIEV,
digniſſimo Secretioris apud Regem Senatus
Principi, Galliarum Θαλασσάρχῃ, &c.
De Patria optimè merito.

CARMEN.

INGENII quàm magna tui generoſáque virtus,
O noſtri Neptune maris, cui Numina cœli
Sydeream rubro tinxerunt æquore veſtem,
Auguſtúmque caput Tyrio velatur amictu!
Ecce tuo nuper tellus concuſſa tridente
Fudit equum, rabidas quo fregit Gallia gentes,
Atque inſigne tulit proſtrato ex hoſte trophæum,
(Ceſſerat hæc noſtris & nunquam gloria rebus.)
Cùm pelagi ſceptrum tu nondum ARMANDE *tenebas,*
Floribus armatis totum Cytherea tegebat,
Infeſtæ fuerant ſpinis horrentibus vndæ;
At nunc cæruleo verè ſunt Lilia campo,
Auulſæque roſæ paſſim iactantur ab Euris:
Sic Venerem Iuno natalibus expulit oris,
Amiſſas luget confuſa Britannia vires,

Nauibus & vaſtis auſas contendere cymbas
Miratur, dum caſtra noua circumdedit arci,
Fulgurea de claſſe minax, centúmque tonantes
Ementita Ioues brontæo in murmure ripâ,
Deſuper effuſis illuſo gurgite flammis.
Attamen illâ magis ſtupeat per te oſtia clauſa
Oceani, medióque freto conſurgere montes,
Ad quos, obſeſſam quiſquis tentauerit vrbem,
Nauita veſano debet ludibria vento,
Cautibus impingens etiam dum exæſtuat vnda.
Res haud viſa priùs, quàm mente Hiſpania nunquam
Attigit, extremos quamuis dete xerit Indos;
Vnde ſub æquoreis Oſtendæ mœnibus hæſit
Tres hyemes, triplicem cogens ſub pellibus orbem;
Neſtore nec caruit, Pleſſæa defuit illi
Palladis auxilium, quo debuit ira Deorum
Ac potuit meliùs Rupem calcare ſuperbam,
Dum LODOICVS *adeſt laudis ſuccenſus amore,*
Ductor agens ſecum fortes in prælia turmas.
O Rex venturo ſemper memorabilis æuo,
Summe Heros, dignis quæ te iam gloria palmis
Protegat, ac lauru quis te ſatis ornet Apollo?
Hic ARMANDVS *erit totis qui prælia Muſis*
Temperat, ac nobis Martem facit eſſe Quirinum.
Huc huc Romulei decus immortale Senatus
Perge, triumphales placeátque oſtendere ramos
Purpurea qui veſte latent, hoc munere Princeps
Victor ouet, viridíque premat diademate frontem.
Sic tibi nulla dies abeat (dum ſæcula reſtant)
Quam non fœlici deducant ſtamine Parcæ.

SERVATA A LVDOVICO REA INSVLA.

ANAGRAMMA.

ARMANDVS, IOAÑES, PLESSEIVS, CARDINALIS DE RICHELIEV.

HEM! REA SPLENDIDA, LVCI SERVANDA ERAS EIVS CONSILIIS.

EPIGRAMMA.

SANTONICO attollas caput altiùs, Inſula, Ponto,
Latiùs atque oris exoriare tuis.
Exulta illuſtri LODOICI *clara triumpho:*
Iam ſatis obſcuro nomine fama latet.
RICHELIVM *ſuperas tollit te* NOMEN *ad auras:*
Sidere quid tanto ſurgere ad aſtra times?
Num ſtygias Rupella faces accenderat? atris
Vt tenebris merſam perderet ipſa ſuis.
Anglica te nuper tempeſtas viſa ſub vmbras
Mergere, & infeſtis aſtra ciere Diis.
Diſpulit iniecto LODOICVS *fulmine nubem,*
Reddidit ARMANDVS *ſidera clara tibi.*
HEM! LVCI SERVANDA EIVS, REA SPLENDIDA, *magnis*
CONSILIIS, *ſocia mente laboris,* ERAS.

IAC. ISNARD.

ALIVD.

ILLA Caledonij quæ magna eſt Inſula Ponti,
Inſululam petiit claſſe potente Ream.
Vaſtior Oceano ſtridens Aquilone procella
Penè ſuis ſæuo turbine merſit aquis.
Numine quo tandem pacata, ARMANDE, *reſedit?*
Conſilij iacta eſt ANCHORA SACRA *Tui.*

Idem.

ALIVD.

ILLA errans variâ Dominorum ſorte latebat
Inſula, vix oris nomine clara ſuis.
Gallica, Pictonicæ ditionis, & Anglica quondam;
Nunc Rupellani præda furoris erat.
Rex tandem hanc iuſtis LODOICVS *vindicat armis:*
Conſiliis ſeruas hanc, RICHELÆE, *Tuis.*
Sic Regi firmata ſuo dum SPLENDIDA *ſurgit,*
Non Rea, ſed Gallis REGIA DELVS *erit.*

Idem.

EXPVGNATA A LVDOVICO RVPELLA.

ANAGRAMMA.

ARMANDVS, IOANNES, PLSSEEIVS CARDINALIS DE RICHELIEV.

EN REA ES, RVPELLA, EN HVIVS ADMIRANDIS CONSILIIS CADES.

EPIGRAMMA.

QVO Rupellani tandem ceſſere furores?
Conſiliis capta eſt Vrbs, RICHELÆE, *Tuis.*
Extulerat caput indomitum, imperioſa; mináxque
Mœnibus æquabat Gallica Regna ſuis.
Imperium Oceani, Vulcania fulmina, Martem,
Colláque iactabat neſcia ferre iugum.
Viſa ſibi Regno, totóque potentior Orbe;
Sic REA, *ſic Regi facta Rebellis erat.*
Quódque ſuæ fatum neſciuerat illa ruinæ;
Hoc didicit fatum NOMINIS *eſſe Tui.*

Idem.

ALIVD.

CONSVLVIT *nuper Phœbum Rupella; quis eſſet*
Exitus obſeſſæ; vinceret, an caderet.
Conſule RICHELII *magnum pro Numine Nomen;*
Reſpondit Vates; hoc tibi fata dabit.
Conſuluit, ſimul & cecidit ſibi conſcia fati:
RICHELII *hoc tantum* NOMINIS *omen erat.*

Idem.

PERRVPTÆ A LVDOVICO ALPES.

ANAGRAMMA.

ARMANDVS, IOANNES, PLESSEIVS, CARDINALIS RICHELIEVS.

NÆ, R. L. VNA HVIVS ADMIRANDIS CONSILIIS ALPES CESSERE.

ALPINA NYMPHA.

NYMPHA iugis Alpina meis quæ prouehor aſtris,
Ætherias videor niuibus quæ extinguere flammas,
Regnáque proſpicio; regnat qua Rhenus, & Iſter,
Eridanúſque mihi Veſulo patre natus, & ipſe
Gallus aquis præceps Rhodanus, Ligeríſque pererrans
Irriguis campis Celtarum pinguia; & Arces
Liligeras lambit qui Sequana Regius vndis;
Vidi Ego CLAVIGERVM, *ſpoliúmque immane Leonis,*
Dum fera tergemini regnis armenta Tyranni
Orbis ab occidui Latiis immitteret aruis.
Venit ab Heſperio POENVS BELLATOR *Ibero,*
Infeſtúſque hoſtis patrias iuratus ad aras,
Clauſtra ſuis obiecta armis reſerauit, & altis
Obicibus ruptis, celſo velut axe, niuoſo
Vertice detonuit, Latiúmque, Vrbémque Quirini
Nomine fulmineóque afflauit Marte, trementis
Ad portas Victor, ſed bello neſcius vti.

Horrida quid SENONVM *referam* DVCIS *arma? quibus tum*
Victa feris didici frontem ſubmittere Gallis.
Ille per Alliacas vndantes ſanguine ripas,
Vaſtáque, pertrepidam, flammarum incendia Romam
Solùm Tarpeïâ non exturbauerat Arce.
Agmina TEVTONICIS *memorem quid* CIMBRICA *ſignis?*
Ducta per & rigidos immania corpora ſaltus,
Marte triumphantis Marij mactata tropæis.
Impia dum premerent Aſtulphi bella ſupremum
Romanæ ſedis Dominum, Chriſtique colendum
Auguſtæ Auguſtum ſponſæ, Matriſque Parentem;
Nec Deſiderij ceſſarent arma; PIPINVM
Ductorem auxilij; & CAROLVM *re & nomine* MAGNVM
Intrepida excepi, duxíque per ardua Gallos,
Scilicet authores trepidæ tibi, Roma, ſalutis.
CARLVS, *& accito* LODOICVS *ſtemmate, Reges,*
Oppoſitas fregere niues: tum culmina Francis
Noſtra ſub armatis exultauere cateruis,
Sceptra meas peterent dum Parthenopæa per Alpes.
Inde ſubalpinis Inſubribus arma reportans,
Liliáque infidis ſemper metuenda Tyrannis,
Ingentis Rex ille animi, FRANCISCVS, *iniquos,*
Immanéſque ſuo ſuperauit milite montes:
Sic quondam infeſtis CÆSAR *perruperat armis.*
Aſt illi tantùm non incuſſere timoris,
Longa licet duras ſuperarent agmina cautes,
Pertimui quantum LODOICI *Nomen, & arma:*
Exanimis, fateor, niuibúſque rigentior ipſis;
Subrigui; glaciéque magis glaciata gelatis
Cautibus, & durante gelu prædurior hæſi.

Eius vt adſpexi vultum, liquefacta remiſi
Sæuitiem. TANTOS *facies ea protulit ignes!*
Senſi animos, ARMANDE, *Tuos, curáſque potentes;*
Et ſimul Alpinas vox eſt audita per auras.
RVPELLA, OCEANVS, CVI MONSTRA REBELLIA CEDVNT;
ET NOS, ô LODOICE, TVIS QVOQVE CEDIMVS ARMIS.

Idem.

EXTINCTA A LVDOVICO REBELLIO.

ANAGRAMMA.

ARMANDVS, IOANNES, PLESSEIVS, CARDINALIS DE RICHELIEV.

AH! VNICE, PERDVELLES VERE ADMIRANDIS CONSILIIS SANAS.

EPIGRAMMA.

PESTE *laborantes ſoluit conſultus Athenas*
Phœbus, ab hoc Graiis dictus Αλεξίκακος.
Peſtis erat dudum furioſa Rebellio Francis;
Quâ diris toties Gallia preſſa malis.
Funera miſcebat, cædes, incendia; ferro
Ius dabat, & ſceleri ſubdita iura, ſcelus.
Templa, quibus fuerat ſacri modò cultus honoris,
Antra modo Stygij plena furoris erant,

Thura

Thura quibus Myſtes ſacris adoleuerat aris;
Sanguineæ in cinerem corripuere faces.
Hic vbi, CHRISTE*, tuo dederas cum Corpore vitam;*
Sæua dedere viris militis arma necem.
Lactea iam fœdo ſqualebant tincta cruore
Lilia, peſtifera lurida facta manu.
GALLIA*, ſic peſtis te deformauerat: ille*
Nempe Reformatæ Religionis amor.
Cur illi tantum licuit? cur tollere Reges
Non potuere armis conſiliiſque malum?
Nullus erat Victor, IVSTVS LODOICVS*; & Heros,*
ARMANDVS*, Gallis nullus* ΑΛΕΞΙΚΑΚΟΣ.

Idem.

SOCIALE FOEDVS
SEQVANÆ CVM RHENO, AD EMINENTISSIMVM CARDINALEM DVCEM DE RICHELIEV.

SEQVANA ſe nullis ſociari Nympha maritis
Queſta diu eſt, Rheno ſollicitata proco.
Æmulus hinc Tybris Nymphæ ſe iungere certat,
Quos inter lis eſt non leuis orta duos;
Vt Rex dirimat hanc iuſtiſſimus arbiter Orbis,
Conſilium Meti conuocat vrbe ſuum:
Cui Dea Conſilij, Metis, conſulta præeſſe
Dum cupit, hæc vero pectore ſcita refert.

Q

Præter purpureum præſenti numine Myſten.
Qui poſſit Nympham iungere, nullus erit.
Iuncta ſuo Rheno tunc felix Sequana, per te,
RICHELI, *Latio iura dat Imperio.*

AD EVNDEM CARDINALEM,
QVERELA RHENI.

SEQVANA *tuta meis amplexibus vnica coniunx*
Gaudebas caſto continuiſſe ſinu.
Ceu rerum Domina, & magnæ vrbis Mater & Orbis
Iam poteras toto ponere iura mari.
Cum zelotypico correpta furore Moſella
Turbaſti ſtabilis fœdera coniugij;
Auſa meam tentaſſe fidem ſoror inuida ſortis,
Fratre per illecebras illiciente Proco:
Sed nil pellacis Nymphæ malè ſuada cupido,
Atque tot imbelles nil potuere minæ.
Fœderis author eras noſtri Pater optime Regum,
Nexerat & nodis purpura ſancta tribus.
Ergo quid toties corrumpere fluminis oras,
Geſtis & Heſperiis fallere poſſe vadis?
Sequana dum refluet Rheno mihi fida marito,
Firmus erit Rhenus mobilitate ſuâ:
Hoc mage ſit ratum certâ ſub lege reuinxit
Me tibi, qui Gallo iura dat Imperio.
Nunc rege Danubium Cæſar, cum coniuge ſemper
Rhenus ego Gallâ ſub ditione fluam.

II. V. METENSIS.

MONS ALBANVS.

NON me fata trahunt. Quoties damnata, ſuperſtes
Fortunam riſi, contemptóque omine vici?
Nec me fracta ſuis pulſat Rupella ruinis;
Nec belli metus, aut facies obiecta malorum.
Jam grauiora tuli. Meliórque in prælia ſurgo:
Et tumet expertis firmata audacia damnis.
Fortis adhuc, ſolidíſque potens in viribus exto.
Stant altæ turres, nec propugnacula nutant.
Sponte cado. Iuuat inconcuſſas pandere portas.
Magnanimúmque libens intacta in mœnia Regem
Admitto, & grauidam valido me milite trado.
Exhauſtámque malis poſſum ridere ſororem,
Iam vacuos reſeraſſe ſinus, & inania tecta,
Seminecéſque animas, & languida corpora Regi
Expendiſſe ſuo (ſpernendum munus) ouanti.
Victorem decet hunc totis vrbs integra membris,
Et venit exuuiis victoria maior opimis.
Optabam poſitas (non diſſimulabo fateri)
Optabam leges, & dulcia fræna ſubire.
Heu quoties! Memet caſtigans, impia, dixi.
Tantó-ne obſiſtes Regi, dominúmque negabis?
Non ita; dicebam. Sed me ſors læua tenebat.
Nunc mihi quando aliam ſuaſerunt numina mentem,
Duc, age, duc plenos, Fœlix LODOICE triumphos,
Victa ego. Nec doleo. Solum doleo vltima vinci.
Hunc-ne mihi primum inuidit conſultus honorem

RICHELIVS? *Certè ſi noſtras miſſus ad arces*
Veniſſes citiùs, Genie Auguſtiſſime Regni,
Pacis obex non vna forem, belliue iacentis
Relliquias infauſta darem. Prior ipſa ſuperbi
Victoris placidâ cinxiſſem tempora lauro.
Ex quo fama recens (neque enim iam dedita quæro
Blanditias) te velle canit mea ſepta videre,
Nutantes dubio ſenſi fundamine turres.
Méque omnem, veluti fatalis Machina belli
Quaſſatura minas murorum, ac deſuper ædes
Inſpectura meas accederet, horror habebat.
Vix mihi nunc fido: quamuis non horridus intres,
Pacatúſque hoſtis venias. O ſi mihi Regem
Cernere fas ſuperi! ſed vanas mitto querelas.
Hoc mihi, proh facinus! ciues meruere rebelles,
Hoc odium. Sic certè abſens LODOICE *triumphas.*
Namque meos ſi fortè lares tranquillus adiſſes,
Ipſa ego conceſſos retuliſſem victa triumphos.

IOANNES AVELA.

INVICTI HEROIS ARMANDI RICHELII FORTITVDINI ET PRVDENTIÆ

NANCÆI PROSOPOPOEIA.

DIVES opum, longique potens Lotharingia belli
Et, modò fata ſinant, audacibus inclita cœptis
Nancæum, bis aquis, bis vallo, & milite cincta,
(O dolor, & noſtri memorabile dedecus æui)
Vixdum biſdenos aſpexi reddita ſoles.
Illa ego diſcordes aduerſa in prælia Gallos
Quæ paribus quondam iuſſi concurrere telis.
Nunc luimus paciſque moras, euerſáque captæ
Mœnia Rupellæ, deceptáque fœdera Regis,
RICHELIVMQVE *hoſtem, quæſitâque Cæſaris arma.*
Hoc mihi ſemirutæ validis ſub turribus arces,
Vexatæque vrbes, magnæque iniuria Gentis,
Fictáque Relligio, ſimulatáque numina templis,
Occiſique nouâ pietatis imagine Reges,
Hoc meruere nefas, hunc diri criminis vſum
Pendimus, & pœnas Hiſpani ſoluimus aſtus.
Demens quæ turmas, & non imitabile robur
Gallorum ſpernens, iurati perfida pacti,
Viribus Heſperiis curas ſolabar inanes.
Scilicet occiduo quam nullum in Cæſare pondus,
Et vanum quam nomen Iber, mutatáque fata
Agnoui, poſtquam furias virtutis iniquæ

Carolus abſumpſit, præcépſque ingentibus actis
Jncautas patriæ ſcripſit pro fœdere leges.
Nec tamen aut Geticæque acies, Scythicæque cohortes,
Aut væſana madens propriâ Germania cæde
Quantum RICHELII *terret me feruida virtus.*
Seu faciles vrget ſuperos, ſeu neſcia flecti,
Flectit fata tamen, ſeu mens præſaga futuri
Totum conſiliis terret felicibus orbem.
Siue alio nunquam ſimiles natura coegit
Pectore, nec tantas auſa eſt includere dotes.
Quidquid id eſt, Princeps noſtris hic cladibus auctor
Tranquillas peragit ſecura per otia luces,
Nil metuens, quidquid trepidi per crimina verſent
Auſtriacíque Duces, ſcelerúmque hortator Iberus.
Quin odiis fruitur, cœlíſque fauentibus inſtans
Atque Orientis opes, atque Alpes ridet apertas,
Et dites Batauos, victóſque vlciſcitur Indos.
Intereà Regem propriæ virtutis imago
Excitat ardentem, laudúmque immenſa cupido.
Hoc Duce, & his animis, hac arte, & talibus auſis
Ipſe doli fabricator, & vrbs notiſſima mundo,
Tradita ſum cupidis, fortaſſe & prodita Gallis.
O Italûm diuiſa fides, deuotáque bello
Pectora Germani, & noſtræ pars optima gentis
Belga ferox, raptæque vrbes, ſpoliatáque regna
Inſuber, atque Ligur, duplex quoque littoris ora
Sicanij, & Mauris iam libera Roma Tyrannis,
Ac modo Pontifices, ô quiſquis plaudit Ibero
Vel timet, Auſtriacæ vultis ſi parcere famæ,
Vos me conſiliis, non armis dicite captam.

FRANCISCI ARCHIEPISCOPI ROTHOMAGENSIS, NORMANIÆ PRIMATIS,

SOTERIA

PRO EMINENTISSIMO CARDINALE DVCE RICHELIO.

ESTIS iô Superi, magno Papinius ore
Rutilio quondam cecinit, qui proxima Regno
Ceruix languerat, Latia dux peruigil Aulæ,
Pondere Cæſareo rerum: quo Gallicus, ingens
Argumentum operis, nobis cognomine fecit.
Hunc reducem vt Statius ſenſit grauiore ſopore,
Carmen adhuc pigro, per publica vota ſuſurrat.
Ite meæ per aperta iuga, & per amœna Camœnæ
Ferte viro dictama, ſopor quem nullus obumbrat:
Cui, non Rutilio, miſſus de pace triumphus,
Intendens animus, vigiles pro Principe curæ,
(Dulce onus imperij) morbum per torrida punctim
Viſcera, & effœtas hauſere in pectore vires.
Vos ô patritio mihi quæ ſonuiſtis in oſtro

Carmina concinite : immenſis vel qualia Diuis
Munera grata Pæon , curat dùm vulnera , mittit.
Quid iam Rutilio canitur , dominóque potenti ,
Gallicus es cælo ; Dis es Germanice cordi ;
Quæ mea RICHELIO , LODOICO *Muſa ſacrauit ?*
Ille aquilas acie ſuperans , hic fulmine roſtri
Auersâ prædâ , creſcentia Lilia cernit ,
Et veterem Auſtraſiæ rimatur arundine ripam.
Eſtis iô Muſæ , micat ecce ſalutifer annus ,
RICHELIÓQVE *ſuos promittit Iuppiter annos ,*
Dùm ſtanti , à morbo timuit fortuna , ferendo
Impar , ſuccumbens oneri , rebúſque futuris.
Vel certè erubuit tanto ſpoliare Miniſtro
Imperium , LODOICE , *tuum ; vel vtróque retincta*
Murice compoſuit crinem , vocémque , rotámque ,
Curáſque , & morbos , & pigra obliuia vitæ.
Credite , FRANCIADÆ , *ac firmis iam fidite rebus ,*
Et motura alios ſperate immota manere
Numina. Quid morbis , quid nunc imponitis aſtris ?
Illa vias ſignant , quibus exceptura morantur ,
Donec vterque ſuum paribus compleuerit orbem
Auſpiciis , iungátque ſacræ , Diadema , Tiaræ.
Tunc Carolis mixtos Hadrianos , ſydere tanto
Cernere erit , poſtquàm bis vterque ſimillima fata
Vicit. Non aliter ſiſtit Neptunia moles ;
Non aliter venti poſuere immanibus antris ;
Quàm cùm bis refluum compeſcuit vnda tumorem :
Bis quoque nudus Atlas , Mundi ſub frigore ſudat ,
Nec tamen auertit faciem poſt nubila , donec
Exuit Orbiferæ faſtidia prima ſenectæ :

Tùm

Tùm vires meliore nouas virtute reſumit,
Et cælo fretus iam libera colla relaxat,
Herculeo gaudens animam iunxiſſe periclo.
Non illic Boreæ-ve truces, ſortis-ve Poëſi
Ambiguæ Zephyri, Mundi inferioris imago,
Quos noſtri ſuaues, Graij fecere clementes,
Nomináque à valido flatu impetuoſa dedêre.
Nocte ardent ſtellæ: ſtant luce micantia tardâ
Fulmina; quanta Ioui parent iaculanda ſiniſtro,
Seu turres altas, cælo inuidioſa ſupremo
Culmina, ſeu tetros mox detruſura Gigantes
Peruideas, ſeu cùm terrent mortalia corda
Anxia, quæ certæ ſuſpirant ſigna ſalutis.
Reſpicit hinc noſtros Clementia tuta Quirites,
Mox blandos paritura dies: non quæ fuit olim,
Heu nimiùm facilis, noua ſeditionis origo:
Sed qualem recti cupiunt, prauíque verentur,
Ominibus variis bona ſpargens, torua coercens,
Haud ſegnis ſibi proſpicere, haud præſentibus vti
Incerta, exemplis necnon fidiſſima donis:
Non tam pacis amans, quàm veræ conſcia laudis
Quâ populos animoſa rudes victoria ditet,
Ac Regni reparet faciem; poſt fœdera, docta
Ferre quietis onus, ſed quam labor impiger auget
Atque, exhauſta priùs, cumulanda æraria complent.
Queis vbi Germanæ tumulos impleuerit Aulæ,
Fortis Idumæas referat tibi ſedula palmas
Cura tui noua RICHELII, *qui Gallicus Orbe*
Dignus & ipſe cani toto, noménque meretur
Arte nouum LODOICE *tuâ: dum nomina mille,*

Amplificaturus Regni confinia, pandet.
Viue diu, res quanta diu, Germanice Princeps,
Domitianæum Statij victure triumphum:
Gallicus en tuus eſt, quo decumbente retortis
Stare vndis Rhenus, cum quo ſurgente viciſſim
Surgere, vel cerni potuit, vel denique credi.
Quod ſupereſt, humiles tollant aulæa vagantes
Purpurea Hiſpani: quibus vnica Feria fractis,
Vna via ſpes eſt clauſis, te credere cælo
Cuncta, nec æternos hominum ſperare triumphos.

EIVSDEM ARCHIEPISCOPI AD EVNDEM CARDINALEM DVCEM SEZANIA COLVMBA.

ADVENTVM *teſtata Dei redeuntis in vrbem,*
Viſa diu volitans candida pacis auis,
Soſpite RICHELIO *circumſonat æthera plauſu,*
Et vario blandum murmure complet opus:
Huc modò præſidium, modò currum peruolat illuc,
ARMANDVS *dubitans, ſic vel amandus erat:*
Armigeris tandem cuſtodum affuſa galeris,
Purpureus ſiſtit quà benè notus apex:
Tum geminat plauſus, fuſis immobilis alis,
Inde comes liquidum pro duce radit iter.
Vna deeſt laurus, ramúſue vigentis oliuæ:
Detulit hæc Regi, diſtulit illa tibi.

AD ILLVSTRISSIMVM V. D.
ARMANDVM PLESSAEVM
CARDINALEM RICHELÆVM
anno 1624.

ΕΥΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ.

PRæsvl *magne, tibi qui tanta negotia tractas,*
Qui geſtas curáſque graues & pondera regni,
Scribere quod verſus auſim, nec deſpice, quæſo.
Non ego me quamuis prouectâ ætate Senator,
Diſtrictus quoque non paucis nec ad otia curis,
Excludi fas eſſe reor ſine crimine muſis:
Quarum ſi iuuenis colui pia numina quondam,
Sit ius fáſque ſeni ſacros haurire liquores.
Nec mihi ſit vitio, magnorum exempla virorum
Dum ſequor: hoc fecere fori tria lumina Briſſo,
Pibracius, Mario: ſic Hoſpitalius antè
Fecerat, ætate in media, iuueníſque, ſenéxque,
Dum clauum tenet, & rerum moderatur habenas.
Fecerat & Turno, Bellæus, Præſul vterque:
Ambo quo fulges, præcincti murice, & oſtro:
Turno gubernaclum regni qui primus habebat.
Sed quid prætercam claues qui geſtat Olympi
VRBANVM, *Petri ad ſolium quem viuida virtus,*

Doctrina & pietas vexerunt omine fauſto?
O quàm præſtantes hac ipſa ætate ſenili
Diffudit verſus! quàm docta & ſancta poliuit
Carmina, Pindaricis modulis, & pectine Flacci,
Atque elegis epicíſque ſuos quos muſa Maronis
Eſſe velit, veteres doctus ſuperare Poëtas.
Macte iſta virtute, Pater ſanctiſſime, perge
Sic Muſas colere, atque ſacris coniungere libris.
Túque adeò, noſtri decus æui ARMANDE, *gerendis*
Vir magnis rebus nate, & date munere Diuûm,
Non ſatis eſſe putas totas traducere luces
Altis conſiliis Regni, niſi noctis opacæ
Impendas partem ſtudiis, Muſíſque vacaris.
Sed quæ pro meritis tibi queis deuincior, audens
Carmina digna feram? numquid tua dicere facta
Aggrediar, noménque tuum ſuper aſtra locare?
Non ea vis animo eſt, nec tanta ſuperbia Vati:
Non Muſæ vel Apollo queant, non ipſa Mineruæ.
At tenues, Vir magne, tamen ne ſperne camœnas,
Et ſint grata tibi hæc munuſcula parua clientis,
Debita patrono quæ deuinctiſſimus offert.
Quamquam pro nummis, quos reſpuis, atque remiſſis
Juribus, exigua hæc pudeat tibi dona referre.
Sed quid ego immeritus facerem? fueritne decorum
Imperio haud parere tuo, & contemnere tanti
Principis oblatum munus? ſolúsne recuſem
Quæ cuncti à dominis poſcunt ſibi iura remitti
Emptores? verum eſt dominos dimittere plures
Horum partem aliquam; maiorem ablinquere paucos:

At totum nullos: ſoli tibi gratia tanta
Conuenit. hæc propria eſt virtus, hanc præcipe totam.
Et quod donantis meritum haud mediocriter auget:
Vultu animóque hilari donas, & mente benignâ.
Et citò tu donas, verbis parcíſque rogantum,
Anteueníſque preces, atque horum vota ſecundas.
Teſtis ego, qui dum partem de more remitti
Lucri feudalis peterem, tua littera præpes
Scripta manu propriâ, Regis mihi venit ab aula,
Qua totum me ferre iubes cum laudis honore:
Atque tuo mandas ſcribi inſtrumenta ſigillo,
Et ſigno teſtata fidem: quibus inſuper addis,
Cedere te mihi ius redimendi prædia quo tu
Lege vti poteras feudorum & iure patroni,
Ne deſiderium forſan mihi tollat emendi
Alter plus licitans, pretio ſi vincar iniquo.
Denique ſic donas, tantíſque affectibus auges,
Et cumulas meritum, benefacta vt plurima ab vno
Procedant, latéque ſimul collata redundent.
Quúmque ſalutatum veni, gratéſque referre
Vt cœpi, tantúmque à te cupiiſſe negarem,
Aut ſperaſſe: mihi præcidis verba: faceſſant
Iſta, inquis, ſortem optarem vt maiora darentur.
Tunc primùm erubui, fateor, tot honoribus vltrò
Affectum, me qui nunquam tua limina prima
Attigeram, ſolóque eſſem tibi nomine notus.
At me collegi exemplo, poſuique pudorem.
Pellæus iuuenis victis certamine Perſis,
Atque Aſiæ populis, cuidam donauerat vrbem

Militi: at hic renues cum ſeſe munere tanto
Diceret indignum: Rex inuictiſſimus inſit:
Ne quære, ô miles, quid oporteat, aut deceat te
Accipere: at quid me deceat donare memento.
Sic me, ſi plùſquam merui quod cogis habere,
Accepiſſe minùs decet: at donaſſe decorum
Eſt tibi, fortunæque tuæ bene conuenit altæ:
Te magnum dari magna decet: res nulla Deorum
Nos facit eſſe magis ſimiles, quàm plurima dando.
Vtque dare eſt animi excelſi: ſic nolle teneri
Officio ingrati eſt: nam qui benefacta recuſat,
Se debere timet, ne poſt, accepta rependat.
Quódque alacri eſt donatum animo: ſic accipiendum
Qui capit inuitus, vix debeat ille libenter:
Nec reddet ſi credat onus, non munus habere.
Ergo alacer gaudénſque tuum vultúmque merenti
Et grato accipio munus: lætórque fateri,
Et paſſim narrare iuuat tua gratia qualis,
Quam comis fuerit, quæ mens, vultuſque ſerenus,
Omnibus vt tua ſit virtus & gloria nota.
Quæ mercede licet taciti ſit tuta ſilentii:
Contenta & per ſe, fugiat præconia laudum:
Has tamen exiguas oro, Vir maxime, grates
Accipe quas poſſum, non quas debere fatebor
Æternùm, donec fuerit mihi vita ſuperſtes.
Nec ſi Neſtoreos concedat Iuppiter annos,
Conticeam, tantíque aboleſcet gratia facti.
Forſan & ex voto ſi res non cedat, & alter
Æquo plus licitet, vel debitor æs luat ob quod

Haſtæ ſubiicitur fundus, tamen vſque manebit
Hoc meritum, memoríque atque alta mente recondam.
Hactenus hæc de me. At quantum tibi Gallia debet,
Si ſileam, ingratum patriæ me dicere ciuem
Iure queat, damnétque ſuæ haud meminiſſe ſalutis.
Te præclarus eques genitor dum fata peregit,
Ætate in tenera, puerúmque reliquerat orbum.
Hinc creuere animi, atque accepto vulnere virtus
Non infracta malis, at contrà audentior iuit.
Nam mox ingenuas cœpiſti feruidus artes
Amplecti, quibus exhauſtos poſt mille labores
Eximiè inſtructus veterum præcepta ſophorum
Et noſti, & nota exequeris dulcedine morum
Ingenita, tua dum finxit præcordia Titan.
Scriptáque Ariſtotelis ſic intellecta reuoluis,
Vincere vt arguta doctos ratione ſoleres.
Tum mens caſta, piis quæ ſe deuouerat vltro
Officiíſque ſacris & cultibus, ardua quærit:
Et veteris legíſque nouæ, Patrúmque libellis
Aſſiduè incumbit: ſic vt doctiſſimus inter
Sorbonicos fidei nodos, arcanáque ſoluas.
Hinc Prælaturas Rex & Regina dederunt,
In quibus officio ſic fungeris, vt tibi Clerus,
Cunctáque Nobilitas & plebs benedicat, & annos
Optet longæuos, & te, ceu numen adoret.
Doctrinæ ſed fama tuæ & facundia ab illis
Te reuocant: largos tibi tota Lutetia pandit
Clara ſinus, geſtitque tuas audire loquelas:
Téque Salutiferi myſteria ſacra docentem.
Tum quis ad Andreæ ſanum concurſus & ardor?

Quæ turbæ doctorum hominum, populique frequentis,
Magnatúmque etiam? ſed ni Rex ipſe ſederet
Sæpius auditor, ſe non bene, dixit, habere.
At Regina parens, tunc Rege impubere, Regni
Lora tenens, quamuis multis obnoxia curis,
Suggeſtu tamen illa tuo vix abſuit vnquam:
Quotidie eloquij vires mirata potentis.
Nec minus intereà (quo præſtat acumine mentis)
Præcipuas animi dotes te nouit habere:
Scilicet ingenium conſtans, & ad omnia promptum,
Iudicium rerum ſummum, mentémque paratam
Euentus quoſuis dubios perferre libenter.
Ergo ad conſilium Regni, rerúmque ſuarum
Te vocat, incertis & iam nutantibus huius
Imperij rebus; nam cùm altâ mente maneret
Hiſpano auxilium Henrici poſt funera magni
Miſſum Iuliacam dudum oppugnantibus vrbem:
Noſtráque vicinis legio conceſſa Batauis.
Quidam etiam hîc procerum infenſi ſecreta tenerent
Conſilia inter ſe, belli quæ ſigna futuri
Præbebant, quæ res animos addebat Iberis:
Huic viſum fuerat lethali occurrere morbo
Fœdera coniugiis regum regúmque ſororum
Firmando: atque iterum Hiſpanos coniungere Francis.
Hoc ita Villeræo imprimis ſuadente, viríſque
Summis Syllerio & Ianino hoc cardine rerum,
Et data vtrimque fides fuerat, tabulæque receptæ:
Solemnéſque etiam pompæ, triduanáque ſigna
Lætitiæ effuſæ, plauſus, ſpectacula pridem
Edita, ſed nondum teneros hinc inde per annos

Res

Res tanta abſolui poterat : Sic tempus & anni
Tres fluxêre , quibus lapſis connubia dum Rex
Perfectum ire parat , ſponsámque accerſere regnis ,
Ecce nouæ fidei proceres obſiſtere coram
Incipiunt , tantíſque moras innectere rebus.
Sollicitant ſocios à partibus , atque potentum
Primores quoſdam falſa ſub imagine recti
Auſpiciis quorum res marte geratur aperto
Decipiunt ; nimiùm ah ! faciles : verùm omine læuo
Deceptos , longa & culpæ poſt tædia paſſos.
Sed culpa obſequiis demùm reparata ſequutis
Talibus , vt mereant æterna in ſæcula laudes.
Res acta eſt : pars trans Ligerim , pars altera citra
Deducunt turbas : dupléxque exercitus audet
Hoc tantum , tentare aditus occludere Regi
Quà vi quà inſidiis connubia iuſta petenti ,
Sed fruſtrà : quippe accinctus iuuenilibus armis
Per medios hoſtes , per tela aduerſa ſuorum
Sublimi Rex vectus equo peruaſit ad vſque
Extremos regni fines : proceſſit ad vrbem
Burdigalam , fuerat ſanctis quæ commoda tædis
Viſa , & condictis vbi coniugia acta diebus.
Hîc tua præluxit virtus animoſa , ſagaci
Prædita conſilio , quo primum audacter eundi
Author eras , Regem & Reginam inſiſtere cœptis
Impellens , non ignarus quid regia poſſet
Maieſtas tales debellatura gigantas ,
Et præuiſa tuis reſpondere omnia votis :
Perductæque domum ſponſæ , thalamíque iugales
Inſtrati : ducta choreæ , lætíque hymenæi :

Gaudiáque in longas produxit Iberia noctes,
Galliáque ipſa ſimul: fulsêre ex vrbibus ignes
Accenſi: tormenta ſonant imitantia fulmen:
Solemnéſque Deo referunt ante omnia grates
Vnanimes populi, fidei pro pignore tanto.
Quæ ſi firma manent (faxit Deus illa manere
Dum patrio vt quondam, ſe limite ſiſtat Iberus)
Et faciat ſimili LODOICVM *prole parentem*
Formoſa heroina, potens, caſtiſſima coniux:
Gallica ſe quantis attollet gloria rebus?
Partem opere in tanto magnam, Vir maxime, habebis,
Coniugij tanti fautórque, authórque peracti.
Quo tot ſedati motus requiéſque ſecuta.
Quæ licet acta nouis fuerit, poſt, motibus, illo
Et ſtetit, & ſtabit dudum res Gallica fulcro.
Vnde tibi æternas debebit Francia grates.
Tu tamen intereà es fortunæ vana caducæ
Ludibria expertus, nec tempeſtatis obortæ
Vim rabiémque fugis, quæ clauum extorſit, & inde
In vada cæca tulit, viciŋáque littora tandem.
Scilicet vt tua ſic virtus maiore niteret
Lumine: nam quo te vultu geſtúque ferebas
Quàm conſtanti animo? quàm fortiter atque valenter,
Quámque tui ſimilis nuſquam mutatus abiſti?
Nempe vt ſublatum ex oculis te quiſque requirat.
Fœlix à magnis dum ceſſas rebus, habet quem
Auenio dulcis cauarum, gremióque fouere
Gaudet, ſeceſſúque tuo iam læta ſuperbit,
Et Muſas colit alma tuas, geniíque vigorem.
Hic dum oblectaris ſtudiorum accenſus amore,

Officiíſque piis animum componis agendis,
Senſit damna tui diſceſſus maxima Princeps.
Nam deſueta tuis, olim vt, ſapientibus vti
Conſiliis Regina, nouis, diſcedere Bloeſis
Suadetur: longè ex aulâ ſe proripere, & alta
Voce queri ſeſe deſpectam tempore longo:
Et velut extorrem tota dieteride factam,
Iucundo aſpectu nati caruiſſe tot annis;
Poſthabitámque aliis: ceu captiuámque teneri
Henrici Magni viduam, Regíſque parentem
De regno bene tam meritam, ambitione nouorum
Praua hominum, ſibi qui tribuunt poſſe omnia ſolis,
Aſſiduè obſeſſas aures dum Principis æqui
Omnibus excluſis falſis rumoribus implent.
Iámque aderant Reginæ animum qui accendere plures
Auderent: vltróque alij ſe accingere ad arma,
Hácque vel inuita Berecynthia tympana campis
Pulſantur: coëunt turbæ: ſe ruſtica pubes
Præcingit telis, ſpoliíſque recentibus armat.
Sunt etiam hac ſpecie direpta æraria quædam:
Et niſi pacis amans vetuiſſet talia mater
Et regni & regis, crudelia bella mouerent.
Tum memor eſſe tui cœpit LODOICVS, *& ægrè*
Abſentem te ferre, ſciens: quàm fida dediſſes
Matri conſilia atque ſibi remeare iuberis
In patriam, & Dominæ tandem reuocaris ad aulam.
Fleuit diſceſſum Auenio, fons Orgius, & te
Fleuerunt Rhodani nymphæ, nemorúmque ſacrorum
Numina, fleuerunt montes ſyluæque loquaces,
Et longum dixere vale: non te illa morantur,

Quamuis grata tamen, tam dulciáque otia rumpis:
Atque laboranti patriæ ſuccurrere præſtat:
Feſtináſque viam, Engolimæque ad mœnia tendis,
Quò Regina ſuos direxerat anxia curſus.
Quæ ſimul ac te iactatum ereptúmque procellis
Talibus aſpexit, lacrymis incœpit obortis
Ipſa ſuos etiam caſus memorare, nouóſque
Illius ergò quibus turbetur Gallia fluctus.
Perpeſſam ſe multa gemens, maiora tuliſſe
Nunc optans, ſubiti ſeceſſus tacta dolore,
Qui tantum excierit regno Regique tumultum.
Iam quid agat, rogitat quæ ſit ſententia menti.
Tum ſic affari, & blandis lenire dolorem
Incipiens verbis; concedi numine Diuûm
Principibus ſortem egregiam excelsámque fateris,
Qua regere imperio populos, & legibus orbem:
Diuitiis opibúſque frui quæcunque liceret.
Conditione tamen cunctis mortalibus æqua,
Vt ferre aduerſos caſus teneantur, & altæ
Fortunæ quandóque vices & damna ſubire:
Deſpectus, inimicitias, mortéſque ſuorum,
Et ſæpe adduci propriæ in diſcrimina vitæ:
Ne fortè ex voto fluerent ſi cuncta, negarent
Eſſe hominum ex numero, ſupremáque numina temnant.
Nec Regem natum ipſius ludibria ſortis
Vitaſſe humanæ, iam térque quatérque ſuorum
Iurgia & offenſas, & bella immania paſſum:
Et ſi quos miro affectu dilexit amicos,
Queis benefacta dedit, ſummis & honoribus auxit
Ob fida obſequia, & capita obiectata periclis,

Quis Regi inuideat quæ vel priuatus haberet?
Nec mirum hunc plena iam pubertate cupiſſe
Regnare amotis cenſoribus: Iſta poteſtas
Conſortem impatiens fugit, æqualémque veretur,
Præcipuè auſpicio imperij: ſed pondera regni
Eſſe adeò grauia, vt reges quandoque fatigent:
Suſtineántque humeris onera hæc, non viribus æquis.
Forſitan & tempus fore, Rex vt aduocet ipſam
Curarum regni in partem auxiliúmque repoſcat.
Sed ſtrepitum armorum intereà, motúſque furentes
Sedandos: valeant equites, turbæque faceſſant.
Iam Regem æquanimum legatos mittere ad illam
Jnquirant quod propoſitum, quæ vota, quid optet,
Conceſſurum vltrò: his dictis de pectore curam
Reginæ infenſæ tollis; ſuadéſque viciſſim
Dicere, facturam matrem quod filius optet.
Annuit; & mandata dedit tibi libera, fœdus
Icere, quod deceat Regem Regíſque parentem.
Sic factum: Andegauûm regio celeberrima tota
Vrbibus & pagis atque arcibus inclyta claris
Reginæ moderanda datur. Sed maxima pacis
Laus, decus, vtilitáſque fuit, tibi debita certè:
Conuenêre ambo Rex & Regina, ſimúlque
Amplexi iungunt dextras, atque oſcula figunt.
Et blando ſermone terunt fœliciter horas
Pleſſææ Turonum, gentis cognomine veſtræ:
Et quam Pleſſæi domini tenuiſſe feruntur
A quibus illuſtrem ramum centeſime ducis.
Verùm dum pacem regno, natúmque parenti
Concilias, & læta paras dum gaudia Francis,

Occupat heu! luctus, verſántque in pectore diræ
Mæſtitiæ: venit pauido tibi nuncius ore
Crudeli extinctum fratrem cecidiſſe duello.
Prò dolor! occiderit ferro percuſſus iniquo:
Iniuſtéque laceſſenti victoria cedat?
Non feret hoc facinus tantum me iudice, inultum:
Et ſi tarda foret, veniet tamen ira Deorum.
Ah! pereat falſi ſtimulum qui primus honoris
Mentibus infixit: vitæque animæque ſaluti
Gloriolæ fumum ante-tulit, vanúmque pudorem,
Contemnens leges Diuûmque hominúmque ſeueras.
Vulnere quo ex noſtris plures cecidêre quotannis,
Vel decies, quàm qui bello: tantum illa veneni
Inſedit rabies animis, traxítque furorem.
Sed ſi tantus amor laudis, ſi tanta cupido eſt
Oſtentare animos, & fortia pectora, lucem
Spernentes, ite, & longinquas quærite terras,
Pannoniam vel Bulgariam, quaque Hebrus & Iſter
Arua rigant armis iam iam ſubmittite veſtris,
Chriſticolíſque ſuas deiectis reddite ſedes.
Proiicere hic animas libeat, Chriſtóque litare.
His ſe germanus bellis deuouerat ardens
Poſtquam ſe orbatum natóque & coniuge vidit.
Sed miſer ante diem eſt fatis præreptus iniquis,
Damno incredibili patriæ, ſummóque dolore.
Nam quis equo inſedit meliùs? quis flectere ſciuit?
Seu dextra læuáque in gyrum vertere vellet,
Siue exultantem iuſto libramine, & æquis
Saltibus ad nutum virgæ moderare, genúque
Et voce, iratum & melius compeſcere frænis!

Aut quis cunctantis foderet calcaribus armos
Aptius, & curſu metam leuiore teneret?
Sæpius & palmam pretium victoris haberet?
Quis ſaltu aut curſu velocior? aut quis in æſtu
Aut algore magis patiens? venatus & illum
Sæpe exercebat durus: ſeu figere ceruos,
Aut acres ſectari apros, & monſtra ferarum,
Auritóſque ſequi lepores, auiúmque volatus.
Nec tantum has belli effigies, ſed bella ſequutus
Dum licuit: ſæpe in medios ſe contulit hoſtes:
Nec ſe impunè tulit quiſquis fuit obuius illi.
Semper victor eques rediit, peditúmque phalangis
Duxit primam aciem dux inclytus, atque reduxit
Incolumem: ſigna ex hoſte, & ſpolia ampla reportans.
Virtutes animóſque gerens imitator auorum.
Parce, ARMANDE, *precor, cineri ſi certa ferentes,*
Spargentes violas, veſtros renouare dolores
Cogimur infandos: ſunt hæc ſolatia luctus
Parua licet: mandat fieri ſibi talia frater,
Et iubet exiguum hoc tumulo ſuperaddere carmen.
Sed dum tu luctum & priuata negotia chari
Germani peragis (vix ſol confecerat orbem
Signiferum, nondúmque aries renouauerat annum)
Maxima pars procerum fremit alto murmure ſecum:
Incuſátque ſtatum rerum, regiménque potentum
Gratia quos Regis ſummorum ad culmen honorum
Extulerat: ſolos de bello & pace queruntur
Et de fortunis hominum decernere: quoſuis
Vt libet ex aula & conſpectu Regis abeſſe
Cogere, muneribúſque ſuis ſpoliare licenter

Vel vi, vel pretio: ſibi prædia magna parare,
Et titulis decorare nouis, & honoribus altis.
Iam belli præfecturas, arcéſque minaces
Oceanum iuxta, & regni tangentia fines
Oppida congerie nummorum acquirere, victis
Tanto auro ducibus: ſic vectigalia cuncta
Exhauſta, abſumíque æraria publica fiſci:
Et noua quotidie populis indicta tributa.
Scripta etiam in vulgus iactata, & plena querelis
Talibus. hac ſpecie ſecretis reddere tentant
Reginam infenſam alloquiis, ſuadéntque parentem
Si poſſent, propria in natum conuertere tela.
Sed Regina dolos, aliena à talibus auſis
Suſpectans (matrem qui fallere poſſit amantem)
Pertimuit: Regi tanto diſcrimine rerum
Cuncta aperit: téque abſentem dum tu annua vota
Exequeris fratri, vocat, & tibi ſingula pandit.
Se velut obſeſſam vix mœnia poſſe tueri
Andegauûm maneátve illic, abeátve, leuare
Ancipitem curam rogat, & mens anxia quærit
Quid faciat, vel quò vertat ſe denique dicas.
Tu nihil indubitans ſociati fœdere quidquid
Contendant, licet hæc tantis ea cauſſa querelis
Iuſta videretur, Regi parere neceſſum
Affirmas: nullam ſubiectis eſſe fouendam
In Regem belli cauſſam: precibúſque petendum,
Non armis, ſi quid geſtum videatur iniquè:
Cogi multa oculis alienis cernere Reges,
Et recti ſpecie falli. Quæ iniuſta geruntur
Fraude illis celata tegi, fucóque potentum,

Gratia

Gratia quos penes eſt : quæ tempus operta recludet.
Inſontem Regem , innocuum , iuſtúmque , piúmque
Auſpice quos diuos ſemper ſperare fauentes
Auſit quiſque , ſuis ſtruere atque altaria donis.
Et ſi fors ferat audentes vt bella laceſſent ;
Magnanimum , fortem , bellatorémque ſuperbum ,
Denique fœlicem , victorem ex hoſte videbunt.
Sed non ſpernendos queſtus tamen eſſe monebas
Magnatum , querulis nec cludere vocibus aures :
Quin ſe ductricem potiùs ſimularet eorum.
Nempe vt cœptorum ſic conſcia , vertere poſſet
Conſilia in melius , rebúſque afferre leuamen
Afflictis , ſeu cunctando , ſeu verba ferendo
Leuia cum grauibus , nuper quibus illa ſolebat
Prudens dum regeret ſedandis motibus apta.
Spémque dare vt iuſtas Rex optimus ipſe querelas
Audiat oratus , tandem obtineántque petita.
Accepit ſanctos monitus Regina , ſimúlque
Exequitur : non illa animos auertere cœptis
Multorum eualuit tamen : at furiata iuuentus
Horrida bella minans , votis certamina poſcit ,
Atque vrbes populóſque ad triſtia concitat arma.
Et iam Rothomagus dubitans , vicináque circum
Oppida nutabant , ſi non Rex ipſe pauentes
Extemplò aduenien in maieſtate verendus
Erigeret , verùm confidens turribus altis
Arx Cadomi , excuſſiſſe iugum dum Principis audet ,
Obſidionis egens accepit damna propinquæ.
Nam citò Rex equitum celerum comitante caterua ,
Præſidiiſque ſuis tantum ſtipatus adegit

Incluſos parere ſibi, Dominúmque fateri:
Et portas aperire nouis cuſtodibus arcis.
Inde ad Cenomanos dum ſeſe exercitus auget,
Andegauûmque celer fines tranſiuit, vbi hoſtes
Victorem ſensêre priùs quàm credere poſſent
Venturum: tantùm velox audacia præſtat.
Eſt iuxta Andegauûm Ligerino in flumine nota
Inſula & oppidulum Caſi de nomine Pontis
Dictum (Cæſareum pontem dixêre priores)
Quo Ligeris longo iunguntur fornice ripæ.
Hoc via tuta viris, iumentis, curribus, atque
Tormentis vtrimque patet, noctéſque diéſque
Peruigiles illum ſeruabant milite multo
Hoſtiles turmæ, & pars magna exercitus illic
Conſtiterat; caſtris pontémque vrbémque tuentes.
Siue à Pictonicis ſperarent forſitan aruis
Auxilia, effugium aut, ſi fors aduerſa tuliſſet.
Hanc iubet expugnare arcem LODOICVS, *& illic*
Improuiſus adeſt: nec dum Tithonia coniux
Linquebat croceum ſurgens aurora cubile:
Ecce fremit Mauors, armorúmque ingruit horror.
Vndique clareſcunt ſonitus, clangórque tubarum.
Cæduntur vigiles, aditúſque ad limina rumpunt.
Fit via vi crepitans, infertur machina portis,
Quæ ſubito æratos poſtes à cardine vellit.
Nulla mora, inuadunt pontem, primóſque trucidant,
Et dum iam attonitis latè loca ſulfure fumant,
Altera tormentis procumbit ianua crebris:
Intrant oppidulum ardentes furor iráque mentes,
Præcipitant, ſtricto feriunt cuncta obuia ferro:

Corpora, pérque vias ſternunt inimica, cadúntque
Permulti noſtrorum etiam, nec ſanguine ſoli
Hoſtes dant pœnas: conferta at prælia paſſim,
Dum mediæ vrbis iter, dum compita lata tenemus,
Victores demùm, & multos demittimus orco.
Pars magna ad ſocios incluſos turribus arcis
Confugiunt, alij ad naues, & fluminis vndas
Remigiis ſubigunt: equites, quando vltima cernunt
Mittunt ſe in Ligerim, & credunt ſe fluctibus vndæ,
Effugiúntque in equis mortem & commune periclum.
Apparent alij nantes, littúſque propinquant.
Obruit vnda alios permulto infecta cruore
Vulneribus cæſos: pontíſque extrema tenentes
Poſt aliquot pugnas ſua propugnacula linquunt.
Multi etiam capti dimiſſique, obſide ſola
Nempe fide: Quidam pretio vel pignore pacti.
At Rex intereà catafractos inter, agebat
Cuncta animis; mandans ducibus quæ cuique gerenda,
Plus ſeptem horarum ſpatio ieiunus in armis
Acri ſeſſor equo, crebris ſubſultibus actus:
Ætate hac tenera nuſquam defeſſus: at vno
Impatiens medios quod non ipſe iret in hoſtes,
Dum ſonipes terram quatit, & ſpumantia mandit
Fræna ferox, æquans Domini ad certamina vota.
Itque comes vigilantis heri Condæus vbique
Curarum, nec parua illi tot gloria cœptis.
Deditur arx tandem defenſa haud viribus æquis:
Et media vna dies tantam dedit aurea palmam.
Non tamen illa omnes penitus deleuerat hoſtes.
Pars magna Andegauo quamuis Regina vetaret,

Illapſi furtim : multi vicina replebant
Oppida , nobiliúmque domos , caſtella tenebant,
Turritáſque arces : veniebant vndique ſenſim
Hinc ex Armoricis populis , & Pictones inde,
Publici vt illa boni ſpecies obiecta dabatur:
Quæ belli cauſſam dederat. Reſtinguere tantas
Te decuit flammas patriæ , Vir maxime , ſolus
Hoc poteras præſtare : tibi hoc Regina dicabat
Munus & officium ; ſoli cui credere ſenſus
Arcanos ſolita , & rebus ſpem quærere lapſis.
Illius inuitæ auſpiciis (namque hactenus illa
Pacis amans natíque fuit) ſuſceperat vltro
Pars procerum regni bellum , ſub nomine tanto
Eſt ſpecies quæſita boni : ſub nomine eodem
Pax ineunda fuit. nunc hos , nunc admonet illos,
Dum ſe execrari bellum teſtatur apertè,
Regis ad obſequium redeant , veniámque precentur.
Ni faciant , pœnas & triſtia fata minatur.
Hîc quantum labor ille tuus , prudentia ſumma
Dexteritáſque animi , & rerum experientia quantum
Profuerit , res geſta docet , loquitúrque tacendo.
Præcipuè quæ te decorant ſuadela , Venúſque
Dicendo enituit , quæ tot lenire feroces
Infrenéſque animos iuuenum compeſcere quiuit.
Te duce percuſſum eſt fœdus : tu auerſa furentum
Pectora concilias , nodo & meliore reuincis.
Magnum opus ! & meritum cuius perſoluere dignas
Gallia non poſſit grates , nec reddere factis
Præmia digna tuis : ſine quo quæ deinde gerenda
Et quæ rex geſſit fœliciter , ardua nunquam

Bella forent ſuſcepta : ſuis ſtata gloria geſtis
Iámque videbatur , rerum curſúſque moratus.
Noſtráque Relligio quæ tunc oppreſſa iacebat
Caluiniſtarum iniuſto ſub pondere dudum ,
Nunc etiam captiua foret : nec reddita Clero
Prædia adhuc eſſent , templa & temerata tot annis.
Non & Pictonicis permultæ ex vrbibus vrbes
Sanctonicis & Vaſconicis , nec tota Bearnus
Quæ nunc vt quondam Regis ditione tenentur
Noſtra forent : tantos progreſſus attulit iſta
Conſiliis pax acta tuis : qua dextra fidéſque ,
Virtutéſque tuæ Regi ſic nota fuêre ,
Gratáque , purpureos vt conciliarit honores ,
Romanóſque apices tibi , non indebita poſcens.
Atque his ornatum titulis , ſanctóque decore
Sic coluit , ſummam rerum vt tibi crederet vni.
Quas licèt anguſtas tanto moderamine tractas :
Difficiléſque adeò tam iuſto examine pendis.
Seu nos finitimi aut diſcordia noſtra laceſſent
Fortunam imperij , ſic rectè cuncta gubernas ;
Iudicióque Regis tanto ; vt ſperare beatum
Gallia tota breui poſſit te vindice regnum.
Et ſi quid vatis mens augurat , auſpicor arces
Excelſas , quibus inſultant tentántque rebelles
Plebeium ſtruere imperium , mox denique Regi
Te duce , ceſſuras , terráque maríque coactas
Victori obſequium LODOICO *reddere* IVSTO.
Vnius & fidei tandem cultúſque futuros
Vnanimes Francos , ſicque alta pace potiri.

IAC. PINO SEN. REG.

EMINENTISSIMO CARDINALI DE RICHELIEV.

PROPRIÆ LAVDES ET EXQVISITÆ

in ſuis nominibus latentes, triplici Anagrammate explicantur & offeruntur.

PRIMVM ANAGRAMMA.

IOANNES ARMANDVS DV PLESSIS CARDINALIS DE RICHELIEV.

ADMIRANDVS IN VNDIS SOLAS ARCES RVPELLÆ DEIICIENS.

Ad illud, Epigramma.

SOLVM *hoc, quòd clauſo pelago Rupella reuincta eſt,*
Sat tibi quæſiuit nominis in pelago.

Aliud.

MONTES *per medios ſua ducit carbaſa Xerxes,*
Vt iuga vel nollens Græcia victa ferat.
Mole nouâ lapidum diſtantia littora iungis,
Perfida vt urbs Regi pareat, aut pereat.
Ventoſum Xerxem factis audacibus æquas,
Sed ſuperas Xerxem, quòd meliora facis.

In idem.

LVCVLLVM *licuit Xerxem vocitare togatum,*
Sic liceat Xerxem te vocitare ſacrum.

Aliud.

PONTE *nouo impoſitas Neptunus ſenſit habenas;*
Cùm mox acciperes æquoris imperium.
Æquore tuta perit Rupella petita per æquor:
An fieri potuit dignius Auſpicium?
Tempore venturo, quid non auſurus in vndis?
Cùm ſint tanta tuo facta tyrocinio.

SECVNDVM ANAGRAMMA.

IOANNES ARMANDVS DV PLESSIS
CARDINALIS DE RICHELIEV.

PLVRA N'? DIA MANV SINE DVELLO
HÆRESIS RADICES SCINDIS.

In illud, Epigramma.

ANGLICA *quòd fuerint noſtro deleta furore*
Agmina, quòd curis Inſula ſalua tuis.
Laus te magna manet, maior quod ſentit aratrum
Vrbs ea, quæ terror Regibus antè fuit.
Magna hæc ſunt fateor: ſed ab his quæ inſerta leguntur
Nominibus, verè gloria vera fluit.
Plura velis, iam ſecta recens radice reuulsâ
Sternitur, & priſcis reddita ſacra locis.
Hæreſeos fœcunda parens ſine cæde perempta,
Viribus atque ſuis præcipitata ruit.

Arte tuâ non Marte venit victoria, námque
Mœnia quod iaceant, ſtrata quiete iacent.
Tam diuina tuo cùm ſint moderamine facta,
Quis tibi diuinas abnuat eſſe manus?

Ad idem.

MIRA *Deus fecit dum vult ſua iura tueri,*
Tradidit aſt manibus perficienda tuis.
Si diuina manus noſtro palpanda daretur
Senſu, quiſque tuam crederet eſſe manum.

Aliud.

TENTATA *in vanum multis res ſacra remanſit,*
Vt fieret ſacri mente peracta viri.

TERTIVM ANAGRAMMA.

IOANNES ARMANDVS DV PLESSIS CARDINALIS DE RICHELIEV.

NON VI SED PLACIDA MINERVA RES SEDANS ARCIS DIVELLIS.

In illud Epigramma.

ARDVA *cuncta tuæ cùm ſint mandata Mineruæ,*
Ardua cuncta tuæ Palladis arte geris:
Quæ nuper fuerat commota procella Britannis,
Hæc ſedata tuæ Palladis arte fuit.
Sulphureo non ſunt agitati puluere muri,
Nunc tamen impulſi Palladis arte cadunt.
Nec mirum fuerit ſi plurima vidimus arma,
Pallas enim fidens ægide picta fuit.

ANA-

ANAGRAMMATVM CONCLVSIO.

LAVDVM *plena ſeges cunctis tibi ſuppetit actis:*
Diuinas laudes nomina ſola ferunt.

Alia.

CVM *tua facta volent totum diffuſa per orbem,*
Tu tamen illa vides nomine clauſa tuo.

FR. COVLOMP.

PRO EMINENTISSIMO ARMANDO DVCE CARDINALI DE RICHELIEV.

Ad Regem Chriſtianiſſimum.

SIVE *tuis properas arcere à finibus hoſtem:*
Siue mari terráque Vrbem populóſque rebelles
Illinc aggeribus premis, hinc crebro ariete pulſas:
Seu placet, attonito factis pro talibus Orbe;
Aërias Alpes inter glaciémque perennem
Hoſtem improuiſum, nec tum quid tale timentem
Aggredi, & auxilium oppreſſis afferre propinquis:
Omnia conſilio ARMANDI, *qui ſpectat id vnum,*
Vt noua Liligeris accreſcat gloria ſceptris.

ROCHEMAILLET.

V

DE INAVGVRATIONE ILLVSTRISSIMI CARDINALIS D. D. ALPHONSI LVDOVICI DV PLESSIS DE RICHELIEV, ARCHIEPISCOPI LVGDVNENSIS, GALLIARVM PRIMATIS, &c.

EPIGRAMMA.

EVROPÆ *lumen, rerum columénque ſuarum*
Dum tenet ARMANDVM *Gallia, Roma cupit:*
Spes & vtrimque metus, caſúſque timentur in vno
Incerti, voluit quos ſua cuique dies.
Ergo Pius, dubij geminat ſolatia fati
Romulus, & ſtabilit ſpes, minúitque metus:
Protinus, & ſacri tibi purpura mittitur index
Sanguinis, & paſſo concolor illa Deo.
Iam ſecura videt geminos Eccleſia Soles,
Alter in alterius nomine viuit honos:
Romáque plus duplici, plus Gallia lumine claret,
Pluſque fugat tenebras bis radiata domus.
At Liuor clamat: Quid nunc lex Iulia dormit,
Quæ tanto fratres arcet honore duos?
Clamanti referam; Par fratrum tale, nec illa
Tempora viderunt, forte nec iſta vident.
Iulia quódque vetat, non Iulius ipſe vetaret,
Nam populi lex eſt vna ſuprema, ſalus.

PETRVS DESIRÉ.

EMINENTISSIMO PRINCIPI
ARMANDO CARDINALI
DVCI DE RICHELIEV
ſuper eius auſpicatiſſimum Nomen,

CARMEN ELEGIACVM.

VNDE *in tam miti ingenio, tam moribus æquis*
Belligeri nomen Martis, & omen ineſt?
Arma quidem Marti ſua ſunt, ſunt & ſua Paci,
Alternántque ſuas belláque, Páxque vices.
Virgineas aut fronde comas, aut impedit ære;
Telas orditur, tela Minerua quatit.
Pacis & armorum labor æquus: ſed tamen armis
Laurigeræ Pacis conciliatur honos.
Ergo non fruſtra bellum portendit, & arma
Concitat ARMANDVS *nomine, réque gerit.*
Non erit Armandus, belli cui credita ſumma eſt?
Te duce, & auſpiciis, ô LODOICE, *tuis.*
Cui tot ſunt hoſtes, quot habet tua Gallia: quorum
Robur, & iniuſtas proteret enſe minas.
Non erit Armandus, cui ſunt ſuperanda malorum
Conſilia? & Regni cui ſolidanda quies.
Cui rerum commiſſa fides: quem ſuſpicit orbis
Purpureúmque Patrem, purpureúmque Ducem.
Quíque tridentiferâ duo quâ regit æquora dextrâ
Itala regna tegit, caſtra Britanna fugat:

Quâque truces bello bis cedere cogit Iberos,
Aſſerit Europen, Auſtriáque arma domat.
O Nomen! mundo Numen fatale regendo!
O decus! ô belli gloria! pacis amor!
Quod non ſorte datum, pulchro ſed munere cæli
Rebus ades noſtris, auxilióque leuas:
Vince hoſtes, tutare pios: Victoria Marti,
Et fortuna tuis annuat ominibus.
Et tu qui famam diuini Nominis imples,
Cognitus Eois, cognitus Heſperiis:
Quem Pietas, quem ſancta Fides circumuolat alis:
Quem Decor, & puro lumine cingit Honos:
Viue diu ô PRINCEPS, *& tanto Nomine felix*
Gallica conſiliis ſceptra, tuere manu.
Viue diu Regíſque bono, patriæque, tuóque:
Semper & afflictis quam potes affer opem.
Te metuant Armandum hoſtes: te virgine lauro
Læta coronantem tempora ciuis amet:
Vt populi, ſis Regis amor: te Gallia adoret,
Numine te, Patre te, te Duce tuta ſuo.
Qualis enim herbarum ſuccis Medea iuuentæ
Reſtituit ſocero tempora prima ſuo.
Sic animos, faciémque nouam, viréſque recepit
Gallia Marte tuo, viribus vſa tuis.
Quanta facis Regi, & patriæ? vt portenta laborum
Humanæ menti non ſubeunda ſubis!
Ipſa ſuas leges, tibi ſe Natura refringit:
Cælum conſiliis militat omne tuis.
Tellurem tenuiſſe parum eſt tua ſub iuga: Martem
Compede, cæruleas aggere nectis aquas.

Et nunc obtrectet quantumuis liuor iniquus,
Iuſtáque ſacrilego prælia dente petat:
Et dicat, ſint bella aliis queis bella gerenda:
Mentem ille à bello temperet, atque manum.
Non armis, non vincit equis, aut robore dextræ,
Cui ſors, & melior cauſſa, Deúſque fauent.
Cui (quòd magnanimo Regi tela omnia contra
Sedulitate manum præſtat, amore fidem:)
Paret humus, leni faciles flant aëre venti,
Blandáque compoſito ſternitur vnda ſalo.
Nam ſiue inuitis tribus hoſtibus, ac niue ſupra
Horridus Alpinis explicat arma iugis:
Seu preſſis dudum populis bellóque, faméque
Auxilio promptas porrigit ille manus:
Seu parat imperij Rhenum vltra tendere fines,
Noricáque antiquo reddere colla iugo:
Martem animis fulménque manu, ſua tela coruſcat,
Queis terrâ fuerat victor, & ante mari.
Quáque ruit pauor anteuolat, trepidóque tumultu
Clauſas attonito diruit hoſte fores.
Felix cui belli cùm primùm apparet imago
Pax venit, & nitidæ pacis amica fides!
Pro! quantis vrbem redimit, populóſque periclis!
Quam ſua non paruo liberat arma metu!
Nam qualis, quantúſque Aquilo ſtridente procellâ
Sæuit, & horribiles æquore tollit aquas:
Talis tempeſtas, atque armorum ingruit horror,
Quæ violata fides, iúſque, piúmque mouent.
Quippe animum Regis miſerorum iniuria lædit:
Magnanimum lædunt impia facta Ducem.

Teſtis erit. Padus, & charæ qui conſcius vrbis
Excidio, mœſtis Mincius ibat aquis:
Atque Moſella recens Hiſpano liber ab hoſte
Teſtis erit: teſtes Rhenus, & Iſter erunt,
ARMANDVM *nullóque dolo, nec amore nocendi*
Innocuum bellis implicuiſſe caput.
Munera Pacis amat cùm Pax eſt: munera belli,
Cùm fera Santonicas Anglia tundit aquas.
Tùm Regi armato comes it: tanto Auſpice lætus
Pro Patriâ impauidas cogere ad arma manus.
Tum claſſi inuigilat nocturnus, & opperit hoſtem
Tam bene fidentem, quàm fuit ante, fugæ.
Angle fugis, ſed tempus erit quum Gallica nolles
Litora litoribus mole coire tuis.
Hoc faciet bello indomitas qui fulminat vrbes:
Qui, quæ vrbi properat vincula, ponit aquis.
Hoc opus ARMANDI, *tua gloria maxime Regum,*
Debita Virtuti gloria prima tuæ eſt.
Par labor, amborum & Virtus, par gloria, vterque
Pugnat, conſilio hic vincit, & ille manu.
Veſtrum opus amborum eſt ciuilia condere bella,
Et dare inhumanis mitia corda feris.
Námque aliquis captæ faciem cùm cerneret vrbis:
Et molem, & rerum monſtra ſtuperet, ait.
Ecquis iô docuit facili temone leones
Dura capiſtratis vincula ferre iubis?
Victa fame, & flagris, & tempore, bellua ſenſit
Paulatim edomitas detumuiſſe minas.
Hinc docili manſueta iugo Rectoris habenas
Audiit, & ſi quid verbera torta ſonant.

Scilicet immanem, & cæcum LODOICE *furorem*
Scis premere, & iuſto flectere Marte feras.
Cerne ſacrum vt venerentur onus, ceruicéque pronâ
Te Dominum agnoſcant, te Dominúmque ferant.
Quod Pater, & retro tot Reges arte, labore,
Viribus innumeris non potuere, potes.
Solus Hydram Rupi allidis; memoríque ruinâ
Eruis æterni ſemina dira mali.
O quàm felices vrunt altaria flammæ!
Sic, ſic bellorum cauſſa pianda fuit.
Iuſtitia, ambiguum tamen eſt, Clementia plures,
Hæc veniâ, plures fregerit illa metu.
Quàm bene tum coeunt, & pacem pignore firmant!
Protegit hæc miſeros, proteret illa reos.
Illa colit Regem, Regem hæc, LODOICE, *tuetur,*
Te facit hæc Dominum, te facit illa Patrem.
Plura loquebatur vario celebrata per orbem
Carmine: quorum ætas conſcia noſtra fuit:
Quos Regi inuicto bellique, togæque labores
Inuideat nemo, conſiliiſque Ducis.
ARMANDO *neque enim tanti ſint prælia, frondes*
Vt renuat capiti, mitis oliua, tuas.
Pacis amans, animum pacis traducit ad artes,
Quas alit, & magno ſemper amore fouet.
Hinc educta ſolo tot propugnacula, belli
Robur, & hoſtiles frangere certa dolos.
Hinc alio ſub ſole labor, quique annuus errat
Fluctibus, & nullo quà via trita pede eſt.
Hinc amor eſt formare ſacris, mollireque cultu
Natiuâ gentes aſperitate feras.

Illuc ſæua etiam tranſmiſerat Anglia ciues,
Quos interdictâ cedere cogis humo.
Hoſtia quanta piis altaribus ! & tibi merces,
Gloriáque ex illo quanta labore venit!
Te dúce mirata eſt, timuítque Lutetia murum:
(Vrbis nam faciem non habet, orbis habet.)
Iure premi, cingíque arcto, tam vaſta veretur
Limite, ſed cauſam cur vereatur amat.
Hanc decoras, non bello armas: nec iam illa cruenti
Mœnia Martis erunt: munera Pacis erunt.
Gratia magna tibi, nihil eſt ſperare malorum
Nullus finitimo terror ab hoſte venit.
Hoſte procul, Regni in medio ſecura ſuperbit:
Tunc regni eſt bello, & pace fidele caput.
Hæ tibi ſunt artes, hæc vltima meta laborum:
Hîc belli æterna ianua clauſa ſera eſt.
Tum te operis tanti authorem cingítque, premítque:
Quem fama tellus non capit, illa capit.
Quid referam poſitas ædes, arcémque ſacrorum
Sorbonam, & famæ tot monimenta tuæ?
Virtutis monimenta tuæ, quæ nulla vetuſtas,
Non ferrum, aut flammæ vis abolere poteſt.
O tanto Duce Rex! tanto Dux Rege beatus!
Amborum ô felix Gallia ſoſpes ope!
Viuite concordes animi, quos longa, tenáxque
Non interrupto iunxit amore fides.
Parce tamen Regíque tuo, patriæque, tuíſque;
Parce tibi, ô ſecli gloria prima tui.
Eripe te curis, corpus furare labori:
Eripiunt vires cura, labórque tuas.

Quan-

Quanquam (ſi tua fortè ſalus ſit peruia morbis,
Membráque ſollicito ſint tua fixa toro:)
Non deſunt Medicæque manus, ſuccurris Apollo,
Et graue diuina comprimis arte malum.
Sic tibi ſint pharetræ, ſint æternæque ſagittæ,
Semper & intonſis aſpiciare comis.
Hoc placitum eſt Superis, hoc aëre lapſa columba
Portat, inoffenſæ dúxque, coméſque viæ.
Ah! ferri prohibete minas; oracula Diuûm,
Auſpiciiique fidem Chaonis ales habet.
Cernite, libratis vt eat placidiſſima pennis,
Talia fatidico carmine viſa loqui.
Gallia iam lachrymis, iam Gallia parce querelis:
Audiuere tuas Numina iuſta preces.
Redditur ARMANDO, *tibi quàm bene prodigit, ægro*
Pondere curarum debilitata ſalus.
Redditur illa tibi, tam firma, expérſque dolorum
Quàm te conſtanti firmat, & auget ope.
Heroa immenſus tardè deſiderat æther,
Hunc, quem terrarum cura ſecunda manet.

NICOLAVS LE ROVX.

NANCÆI PROSOPOPOEIA,
Ad Eminentiſſimum
CARDINALEM DE RICHELIEV.

PROH *dolor! ô ciues Nancæia Lilia florent*
Mœnibus, & capta victrix ex vrbe triumphat
Gallia, quid miſeræ prodeſt habuiſſe tot arces,
Dedita ſi nullo tinguntur ſanguine Valla?
Heu priſca Heroum virtus, heu priſtina gentis
Gloria, vos-ne alio ciues de ſtemmate natos
Degeneres ſubeunt animi? Me-ne ergo triumphis
LODOICI *ſeruatam? Ergo mihi Francia leges*
Imponet? quo me miſeram Fortuna redegit?
O quæcunque ſuis nituntur viribus vrbes
Temnúntque vltores Superos, lætíſque feruntur
Fortunæ Zephyris, NANCÆI *ſubdita Gallis*
Mœnia reſpiciant, nunquam mutauit amicas
Exemplo maiore vices Fortuna: ſubactam
Gallorum imperio totus me prædicet orbis!
Jlla ego quæ quondam validis celebrata per orbem
Aggeribus, quaque AVSTRIACI *fortiſſima turris*
Jmperij ſteteram, genio proſtrata RICHELÎ
Occubui: non valla meam prohibere ruinam
Non Cæſar, *non* Heſperiæ *potuere phalanges.*
ARMANDI *quis enim contra iam ſiſtere poſſit*
Conſilia: ille ſuo vetuit ſuccedere portu
Neptunum, ille Alpes *fregit, pérque auia ferro*
Inſuetum ſibi fecit iter, geminóque tyranno

Oppreſſam Italiam LVDOVICI *Principis armis*
Eripuit : Caſalíque *arces , Montémque redemit*
Ferratum , *illius ſolers ſapientia ſortem*
Fixit , hic infenſos Rhœtœa *ex arce* Britannos
Expulit, hic rebus Gallorum elementa Iouémque
Conciliat , reliquúmque olim (fœliciter vti
Si liceat fatis) Francorum finibus orbem
Adiiciet ; fruſtra infido ſub pectore fraudes
Voluit Iber , *non obſtiterint quas vndique gentes*
Cæſar *ad arma vocat , non quos Dux* Feria *lixas,*
Non Batauus. *Iam iam* Heſperias *langueſcere vires*
Senſimus , obſeſſæ cùm non promiſſa tulerunt
Auxilia , infirmo quis non nutare volatu
Cernit Germanas *Aquilas ?* Hiſpana *ſeneſcunt*
Arma , & veſano ſe iactat Iberia *faſtu,*
O fortuna leuis ! quantis humana volutas
Caſibus ! An-ne tibi nimium ſecura poteſtas
Diſplicet ? Heu mihi ſpes lapſis ſuccurrere rebus
Omnis abeſt. Quippe ARMANDI *prudentia fatis*
Imperat , vna tamen ſupereſt mihi gloria , captam
Conſiliis ARMANDE *tuis ſi ſæcula norint.*

BARRIN

SVMMO VIRO
CARDINALI DVCI
SOTERIA NANCINA.

ALTER *hic eſt metus , heu ciues ! eia altera vobis*
Gaudia cum magno redeunt communia REGE;

Vtraque ſed REGI *pro Maieſtate reſurgunt.*
Ergo boni, bene, namque bonis fas dicere ſolis,
Et ſuperûm Regi, quas dignum eſt, dicite grates,
Cui ſic lætitiæ viſum eſt miſcere timorem,
Hunc magno vt vincat fructu geminata voluptas.
Vix illa obtigerant manſuræ nuncia pacis,
Quam ſine vi, ſiccam lacrymis, purámque cruoris,
Vnius alta viri fecit ſapientia pacem,
Tam lætam victis, tibi quàm, Rex iuſte, decoram,
Cui ſuper inuictas victrix clementia vires:
Cùm vocem, ac hilaræ felicia munera famæ.
Ceu claro pugnat nubes ſe opponere ſoli,
Excipit aduerſo vix creditus omine rumor.
Hincque amor, inde metus pauido demurmurat ore,
Eſſe minus validum, cuius res Gallica, certis
Conſiliis, ſatis vna valet ſociiſque ſibíque.
Scilicet haud vlla eſt homini ſincera voluptas
Nec ſinit, immoto cuius ſtant omnia nutu,
Præter ſe quidquam, quod nil deſideret, eſſe!
Nempe ſalutares ſuccos contriſtat amaror,
Et lætis hebes eſt, acuant niſi triſtia, ſenſus.
Quis ſua ſat, queis non timuit, bona nouit? ab alto
Iactatus clamat felicem nauita portum,
Ac demum feſſus laudat ſua tecta viator,
Et deſideriis magni accenduntur amores.
Sic te, ſollicitis columen, fidiſſime, regnis
Abſentem atque ægrum (cuncta hoc Reſpublica ſenſit)
REX, *quod vix quiſquam, vix crederet ipſe, petiuit,*
Inque vicem, eſt à te maiori ardore petitus;
Vos loca, vos lacrymæ, vos mutua gaudia, teſtes

Vixque pio REGI, *cui tu plus omnibus vnus*
Imperiis, tibi qui ſupra mortale quod vſquam eſt,
Et vix ſecuris vertit ſe ciuibus annus,
Cùm crudeſcit atrox reducis violentia morbi,
Et reparat fractas, adiutus tempore, vires
Aduena, (nam Regi, & Ciui malè languor amicus)
Atque ipſum imperij, petit illo in corpore, pectus,
Iuratúmque odium gentis depromit in vno.
Sic hoſtis, magnam regni cùm publicus arcem
Inſidiíſque doliſque, & belli mole fatigat
Illa excelſa, infracta, ſuo ſtat robore victrix:
Námque domeſtica vis, proprio munimine tutam,
Et nunquam ceſſura gradu conſtantia ſeruat,
Ille autem, indignans mentémque animóſque fidémque
Pulſus abit, memores retinet tamen irritus iras:
Atque vbi iam longinqua metus abſentia demit,
Vt minùs ille acer, ſic inſidioſior inſtat:
Prouiſæ ſed diues opis, ſe freta, nec vllâ
Parte patens, tantùm ars, tantùm moderamina poſſunt,
Bis victos, neque dein redituros deſpicit auſus.
Hoc te lætitiæ cumulo, Rex magne, Tuúmque,
Quod caſta colitis Numen pietate, beauit;
NANCINVM *quâ tu cernas in imagine fœdus,*
Illius, aut huius ſpecies, in imagine viuat;
Cuius vt auctoris ſunt caſtigata periclo
Gaudia (quod quando magis non accidit actis?)
Sed dubiam firmans melior fortuna ſecuta eſt;
Sic tu, cuius ſunt cum lætis triſtia munus,
Arbiter humanæ ſortis, cui regia cordi
Facta, DEVS, *namque à te ſunt duce & auſpice ſolo,*

Qui das, conſilio poſſe & pollere fideli;
Perpetua hæc, quantum eſt homines ius fáſque precari,
Dona face, & maneat ſeries irrupta bonorum,
Et plebs Rege ſuo, REX lætâ plebe, Suóque
Quem tu, inſtrumentum melioris ſurgere ſecli.
Iuſſiſti, compos, quod te orat vterque, fruatur,
Néue locus, quæ ſunt iunctiſſima, diuidat exter,
(Nec dirimat, ſi ſeſe intus pia pectora cernant)
Et pax CHRISTIADVM, *ſi vero poſcimus ore,*
LAODICI *arbitriis, cui nil, Rex ſumme, negaſti,*
Conſiliis RICHELEI, *quæ tu bonus vſque ſecundas,*
Felices populos æterno fœdere iungat.

IPSI.

Ad DESIDERII, *ſic te deſiderat, ægrum*
REX *iam diſpoſitis viſere tendit equis;*
Nec ſatis, aſsiduè miſſos qui certa reportent,
Non longè, at longas ire redire vias:
Tu, ne ægrum videat, maturas ſtare, valentem
Et lætum vt videat, lætior ipſe? vales.

IPSI.

Nancinum obſidium, per te Nancina ſecuta
Pax eſt; & morbus, ſed breuis, ille fuit.
Iſte tui morbi, illa, tuæ ſit imago ſalutis,
Quæ ſic coniuncto tempore fata ligant.
Bellum è difficili breue, pax æterna ſequatur,
Et morbum, quàm pax, tam diuturna ſalus.

IO. TARINVS.

RVPELLA CAPTA.

EMINENTISSIMO CARDINALI DE RICHELIEV.

GRANDE aliquid, & ſupra hominem ſe retuliſſe putant Hiſtorici, ceciniſſe Poëtæ, cùm nobis hinc Tyrum, inde Syracuſas terrâ maríque expugnatas obtrudunt. O æui laſciuiam ſibi perditè blandientis! Rupella quæ nunc non eſt, pluris fuit, ſitu, opere, fama. Corruit tamen illa regina arcium, & peſſum iit: habet quippe hæc ætas ſuos Marcellos, habet & Alexandros, fortè Magno maiores. Tantæ vrbis excidio nihil contuli virium, non militaris homo: verſu confero vates, ſcilicet Epinicium: cuius tu (Heros inuictiſſime) adeo magna pars es, rerum geſtarum gloriâ, vt te Parentem po-

tiùs, quàm Mecænatem, agnoſcat. Tibi igitur penes quem nutu Regis tota adminiſtrati belli res ſtetit; tibi inquam Muſarum Antiſtiti canunt Muſæ, te perduellium terrorem, Gallicæ pietatis vindicem & aſſertorem inclamant pariter & edicunt, vt qui exſcindenda Rupellâ principem Regi nauaſti operam, mente, animo, numo; inde primam à Rege, referas palmam: qui ſi de Ciuibus triumphare fas eſſet, eodem vehi te curru pateretur. Sileant nunc marmora, typi, linguæ, theatra, nec titulis ambitioſis indulgeant: hoc vno, ARMANDE, contentus eſto, vt quo iure Græcia Demetrium, eodem te Gallia POLIORCETEN appellet.

Tuæ Eminentiæ

Addictiſſimus
SCIPIO A GRANDIMONTE.

RVPELLA

RVPELLA CAPTA.

PERGITE *funeſta ſimulacra addicta ruinæ,*
(Inſanire libet quoniam ceruice rebelli.)
Pergite ſupremos Rupellæ accerſere luctus,
Et miſerum lento vultus conſumere tabo:
Ah pudeat pudeat vertiſſe in viſcera ferrum,
Ah pudeat toties in Regem fœdere rupto
Hoſtiles mouiſſe manus, ſat ſontibus armis,
Sat furiis animóque datum: nam tendere contra
Fata vetant, nec Regis honos nec ſuſtinet ira.
Sed quos alloquimur? ſtat de tot millibus vnus
Qui valeat noſtras audire & reddere voces?
Quem cœlo inuiſum & ſuſpiria longa trahentem
Sydereæ paſcant vitali lumine flammæ.
Exite è latebris iam tandem, exite rebelles
Si quæ reſtat adhuc animæ languentis imago,
Si quid ab eſurie reliquum ſpirantibus extis
Palpitat, exequiis abreptum, & Manibus atris:
Parcite funereo Rupellam condere buſto,
Parcitur ecce reis. Ne quis de rege querelas
Ingeminet; ſatis eſt veniam meruiſſe nocentes
Culpa vbi tanta fuit; ſatis eſt pro munere vita
Si pia fata ſinunt, meritas cùm pendere pœnas
Extremò exitio leges atque arma iuberent.
Relliquiæ vltricis Nemeſis, noxæque piandæ
Turba relicta ſoli; non vos mens conſcia recti,
Non amor obſequij Domino tam ſæpe negati,

Non pudor, aut toties temeratæ iniuria dextræ,
Sed truculenta fames infixa penatibus vrbis
Exegit laribus; teter ceu fumus auitis
Vulpinos cogit catulos exire cauernis:
Exangues vultus macie & ſqualore pereſi
Apparent triuiis: credas horrentia turpi
Membra ſitu gelidis iam nunc exire ſepulchris:
Compita non vrbis ciues de more pererrant,
Sed lemures laruæque truces ac lurida noctis
Spectra Acherontea: nunc eſt miſerabile viſu
Plena cadaueribus magnum Rupella cadauer.
At tu paſſa graues vrbs inconſulta labores
Debueras grauiora pati, ſed perdere iuſtis
Impia tecta rogis patientia læſa pepercit.
Quid valuere arces, quid propugnacula tanta,
Quid cœlo aggeſti tumuli, foſſæque profundæ,
Quid muri, & firmos tormenta ornantia muros,
Vnde vomunt rapidas crepitantia fulmina glandes?
Quid cunctantis adhuc claſſis malefida Britanni,
Quid coniurati ſociali iure Bataui,
Aut tibi ſi quid opis reſtat famulantis Auerni,
Dic age quid tandem perituræ profuit vrbi?
Dira fames caſtris, ipſíſque potentior armis
Has ſpes euertit, tacitíſque inuecta ruinis
Inflatos animos, & ouantia murmura fregit,
Eliſítque omnes nullo certamine technas,
Exiguò vt conſtent partæ ſine ſanguine palmæ:
Di *ſuperi! vt Regi dextro fauet alite Mauors,*
Vt benè cuncta fluunt, vt conſpirantibus aſtris
Vtitur: en portu claſſis ſoluenda Britanno,

Quæ victum obſeſſis, & tela hoſtilia, quæque
Mille nocendi artes Gallorum in damna ferebat,
Nequicquam aſpectat ſublatis æquora velis,
Dum Caurum, & Libræ decumanos inuocat æſtus,
(Namque noti fecere moram,) dum multa minantem
Mors inopina Ducem tam læto cardine rerum
Eripuit: tenues ſic ſpes vaneſcit in auras:
Jlla tamen claros Regi paritura triumphos
Optatis fruitur, ſoluítque è littore tandem
Claſſis inauditas intentatura ruinas,
Sulphureis armata rogis: non illa rotantes
Malleolos, piceáſque faces, ſed protinus omnem
Nauibus aduectat Siculis è finibus Ætnam,
Quæ ſcopulos iactet, fundátque per aëra montes:
Hac ſe confidunt vaſtæ fundamina molis,
Aggeris hac obices valido perrumpere niſu:
Adueniunt, tutóque locant ſe littore puppes
Ad vada Rupellæ, quæ lætior explicat alas,
Fulmineíſque globis venientes vrbe ſalutat:
Ornant ſe pugnæ; rutilantia fulgura ponto
Jngeminant tormenta truces diſploſa per vndas.
Machina multa natat noſtras vſtura carinas,
Succenſæque micant æſtu ſubeunte Liburnæ,
Sed labor effuſus; detentæ fortibus vncis
Ardent innocui tepefacta per æquora flammis;
Dúmque volant hinc inde faces, errántque fauillæ,
Saltibus & crepitu ſpectacula grata dedêre.
Sic paritura metum, peperere incendia plauſum.
Ite modò, & timidas pelago conuertite proras
Auxiliatrices non re, ſed nomine pinus,

Quæ ſpe non eſca Rupellam aluiſtis egentem:
Ad patrium littus terráque maríque ſubactæ,
Turpia dedecoris veſtri monumenta referte.
Si tamen Euronotus leni per apluſtria motu
Inſpiret felicem animam, quæ ſuppara tendat,
Quaſſatáſque rates optatis applicet oris.
Sed prohibere parat nigrantibus Africus alis,
Qui fremitu ciet omne ſalum, nauéſque profundo
Mergere, & inſanas redeuntibus apparat vndas;
Nam neque Delphini luſus fecêre per æquor,
Nec gemini antennæ fulſerunt cornibus ignes:
Sola ſedens vna ſumma ad carcheſia flamma
Dira Helene, Helene, diros nautis prænuntiat æſtus:
Ite tamen, non iam veſtro Rupella fauore,
Non eget auxilio: ſed quo diuertere vatem
Muſa ſinis? reuocat mœſto Rupella boatu:
Quid gemis infœlix! ſeriem mutabis Olympi?
Omnia victori ſuccedunt, omnia rident:
At contrà ſublapſa retro tibi cuncta feruntur:
Rebaris fundos & opes ſeruare vetuſtas;
At tu cum fundis fortunas diſtrahis omnes,
Quáque maritali te conſuluiſſe pudori
Crediderás, pudor hinc læſus: qua parte tuendæ
Spes fuerat, vitæ, facta eſt iactura ſalutis.
Denique libertas longo tibi parta duello
Artibus atque armis quibus eſt quæſita, labaſcit;
Ni ſartam ac tectam Iouis indulgentia victis
Reſtituat, foueátque reos clementibus alis,
Perdere quos potuit belli ſi iura manerent.
Sed bene conſultum, quòd tandem pandere portas

Mens fuit & dominum murorum, admittere muris,
Quo ſemel ingreſſo macies, & turpis egeſtas
Egreditur, plenóque venit tibi copia cornu:
Hoc vno meruiſſe potes, quòd Caſtra, Nemauſi,
Quòd Mons Albanus, tótque inſuper oppida diſcent
Exemplo parêre tuo: iam Dania firmas
Suppetias ſperare poteſt, iam Mantua certam
Regis opem, dicíque adeo Rex arbiter orbis.
Incipe nunc ſanam Rupella inducere mentem,
Incipe & obſequio prono cognoſcere Regem,
Regem cui tantos dederis perferre labores,
Et cui longa decem tulerint faſtidia menſes:
Corripuiſſe diem poteras, téque inde ſupremo
Subtrahere exitio, ſi mens non cæca fuiſſet.
O lux Borboniæ gentis cui grandia fatum
Pectora, cui grandes animos, & robora fecit,
Cuíque ſerenatam duplici diademate frontem
Aſtra beant; ideo fatum, crudeliáque aſtra
Incuſare licet, quòd per diſcrimina mille
Sint tibi quæ tua ſunt magno repetenda labore:
Henrici magni ſors hæc fuit, hócque paternæ
Sortis habes, vrbes proprias qui ſæpe redemit
Vt tua iam duplici dicatur Gallia iure.
O decus Heroûm, ſpes ô fidiſſima regni
Ten' niuis ah, gelidíque Iouis, ten' frigora brumæ
Frigora dura pati? decuit quem molliter, omnes
Coniugis in gremio belli deponere curas,
Deliciiſque frui Luparæ, quàm caſtra ſecutum
Nocte ſub aëria ſtillantes ſugere nimbos,
Dum latus horrenti præcingit gauſape villo,

Dúmque rudes ocreæ ſurarum mollia vexant,
Temporáque hirſuto defendis tecta galero,
Caſtrenſi recubans ſtrato, ſomníque cibíque
Vt pariter parcus, ſic vitæ prodigus, & qui
Militis ingenio caput obiectare periclis
Non dubitas, pulcrámque ſequi per vulnera laudem.
Eia age regali diuûm ſate ſanguine Princeps,
Ingredere antiquas, aderit iam tempus, in arces
Quas ſæpe aggreſſi, ſed quas exſcindere nunquam
Maiores potuere tui, tibi militat vni
Fatorum ſeries, & amico numine ſeruit.
Ingredere: en latas pandunt tibi mœnia portas:
Præpes honorata præeat victoria pompa,
Dum cataphractus, equo, media inter ſigna, tubáſque,
Inter & armatas acies, qua fulgurat vmbo,
Quáque triumphales nutant è caſſide palmæ,
Excipis effuſos per ouantia murmura plauſus
Militis & populi, cui pacem, & larga dediſti
Otia, ni faciles turbent hæc otia Galli.
Iam mihi cernuntur pronos ſubmittere faſces
Hoc motu concuſſæ vrbes quæ bella parabant:
Iam iuga demitti, iam ſe diffundere valles
Alpinæ, noſtríſque viam præbere maniplis.
Iam noua fit rerum facies, noua pectore verſant
Conſilia ambigui reges; Iber, Anglus, & omnis
Europa aſpectat quò te victricibus armis
Conuertas, mundó-ne velis imponere leges,
Aut duplices aquilas geminis committere ſceptris.
Liuor edax quid nunc LODOICI *fortia geſta*
Dente petis, quid RICHELII *ſenſúſque animúmque,*

Conſilia, & vigiles damnas in ſæcula curas?
Quòd non vi ſolita, nec aperto Marte rebelles
Strinxerit, aut crates, pluteóſque admouerit vrbi,
Quòd non igniuomis quaſſari mœnia telis
Iuſſerit, & valido inſultu tranſmittere vallum;
Quòd non & cryptis ſubter ſinuantibus altè
Effoſſa tellure, cauæ fundamina molis
Icerit, & ſolidas ſubiecto puluere turres
Extulerit cœlo fumantibus vndique glebis:
Hinc tu fortè minor conſurgat gloria credis
Induperatori? quaſi mœnia ponere circum
Mœnia, & ingenti Rupellam claudere gyro
Nil fuerit, nullúſue labor frænare procellas,
Oceanóque nouam ſubeunti obtendere molem;
Quam licet vſque fremens, iuſtáque ferocior ira
Neptunus nullo potuit perrumpere fluctu.
Quid victu prohibere hoſtem terráque maríque,
Subſidióque procul venientem auertere claſſem?
At ſeruaſſe ſuos caput eſt: ea cura labórque
Incumbit Regi ex animo: conſtanter & ipſe
ARMANDVS *monet, officij rerúmque peritus.*
O Princeps Romanæ aulæ, cui nobilis oſtro
Purpura, & inſignis trabeæ decus addit honorem;
Cui belli, auſpiciis Regis, data ſumma poteſtas;
Magne pater patriæ, quæ tellus Delphica tantas
Expediet lauros, quæ tot dabit India palmas,
Vnde amaranthæo vernent tibi tempora ramo.

Non tamen arrident omni de fronde coronæ,
Gramineam putat eſſe leuem, Regíque relinquit
Iure Triumphalem; Roſtratam poſcere quamuis

Officio potuit, non hos tamen ambit honores:
Ciuica ſola placet: ciuem ſeruaſſe nec vnum
Sat putat eſſe ſibi qui centum millia ſeruat.
Ciuica donetur; non quæ Iouis arbore lecta,
Sed quæ Rupellam ſpatioſa indagine cingit,
Ornata aggeribus, foſſis vallíſque recincta.
Hæc tua ſit, ſi vota valent, atque area tota
Quam capit amplexu, donec tibi Gallia metas
Ampliet, & nullo tellus te limite claudat
Rectorem pelagi: lenes dum Iuppiter auras
Commodat atque aures, & tu felicibus auſis
Lilia trans Alpes, & trans iuga celſa Pyrenes
Ferre paras, Regique tuo noua regna, nouóſque
Exquiris mundos, ac aurea ſecla recudis;
Pax vbi, & alma fides, iuſtis cum lancibus æqui
Pacatam inueniant æterno tempore ſedem.

GRAMMONT.

IN VERSVS EMINENTISSIMI CARDINALIS DE RICHELIEV AB EO NVPER EDITOS IN GRATIAM CVIVSDAM POETÆ GALLI.

RICHELIVS *ſi quid dignatur ludere verſu,*
Si quid Apollineo grandius ore tonat.
Non vos Pierides dictaſtis carmina, non huic
Bellerophontæus proluit ora latex.

Ipſe

Ipſe ſuos fontes, & habet ſua numina ſolus
Vndique ſacra ſonant, Muſa prophana ſile.
Eſto procul Deli, maior mihi ſurgit Apollo,
Qui tua te coram doctius arma mouet.
Pollio & ipſe facit verſus, gaudete Poetæ,
Iam redit ad veſtros mitior aura modos.
Cernite Romano ſaturatam murice lanam,
Purpureos inter qua micat ille Patres.
Ferte hederas, vittáſque viro, cui tempora dudum
Diues honorato termite laurus obit.
Non quod ab Aonio Muſas deduxerit antro
Vincat & Iſmariam qua valet arte chelim.
Sed quia conſiliis, & auitis legibus orbem
Temperat, vnde hominum pendet vbique ſalus.
Cuius ope erectis florent mage lilia thyrſis,
Lilia vernili non temeranda manu.
Quo duce nutantis pax & concordia Regni
Gaudet in extremis exeruiſſe caput.
Suſtinet hic Regni curas, atque inuida tela,
Quò Regem curis inuidiáque leuet.
Et quem fata virum tam dextro ſydere natum
Humanis aliquid maius habere notant.
Vt ſi vel redeant, cogantur ſecula linguis
Dicere diſparibus non habuiſſe parem.
DI patrij Regem, & Regi ſeruate Miniſtrum:
Si foret hic nullus, Gallia nulla foret.

GRAMMONT.

AD EVNDEM EMINENTISSIMVM
CARDINALEM
HEXASTICHON.

GALLICVS *Alcides dici virtute mereris,*
Mercurius dici Gallicus eloquio.
Gallica tam firma munis qui littora claſſe,
Neptunus dici Gallicus ecce potes.
Sic diſiuncta prius noſtro iunguntur in æuo,
Cernimus inque vno numina trina viro.

Idem.

EIDEM,
Res maritimas procuranti.

IAM *meritis cœlum, iam terras numine complet;*
Portio reſtabat ſola regenda maris.
Aggreditur fluctus, vt det quoque iura profundo,
Et cum Neptuno diuidat imperium.

Idem.

EIDEM.

QVID *munire vrbes, quid vallo cingere muros,*
Aggeribúſque iuuat contumulare ſolum?
Vnus RICHELIVS *pro cunctis arcibus, arx eſt,*
Cuius præſidio Gallia tuta manet.

Idem.

Admiranda in Eminentiſſimo CARDINALI RICHELIO.

RICHELIVS ſecreta tegit, non audit inanes
Blanditias, tractat plurima, nilque capit.
Poſteritas mirare virum qui rexerit orbem.
Non os, non aures, non habuiſſe manus.

Idem.

Eidem, medicatas aquas bibenti.

NEMPE hæc commiſſæ deerat tibi gloria curæ,
O pelagi cunctis qui dominaris aquis,
Vt quoque ſulphureos regeres ARMANDE liquores,
Cui ſoluit potus debita iura liquor.
Eia age ne dubita, quin ſit tibi lympha ſaluti;
Credibile eſt Bromio vina nocere ſuo?
Rector es vndarum, latices facis ipſe ſalubres,
A quo virtutem qua medeantur habent.
Exterior ſic vnda tibi, ſic intima ſeruit:
Illa miniſtrat opes, iſta miniſtrat opem.

Idem.

EIDEM, Super inuentis terra maríque longitudinibus.

TEMPVS erat cùm non auſi ſe credere ponto,
Radebant nautæ littora nota maris.
Sed poſtquam inuenta eſt Italis magneſia pyxis
Quà Boream verſus nautica vergit acus,
Oceani immenſos decurrit nauita tractus,
Et nouit quantum diſtet ab axe poli

Non tamen agnoſcit quantum ſemotus ab ortu,
Vel quantum Heſperia ſit regione procul.
Ars noua nunc prodit ſeclis incognita priſcis,
Qua pelago cœptum quiſque ſequatur iter.
Et quaquà verſum, vel quo ſub cardine cœli
Nauiget, haud dubia dicere voce queat.
Hanc tibi tam celebrem debebant ſecula famam,
Auſpiciis Heros reſtituenda tuis.
Vt qui vtriuſque maris dici nunc arbiter optas,
Nunc quoque vtrique volens des noua iura mari.
Sic locus omnis erit notus terráque maríque,
Sic eris hinc omni notus & ipſe loco.

Idem.

IN NAVFRAGIVM DVARVM NAVIVM Hiſpanicarum ad littus Cantabricum, EIDEM Eminentiſſ. CARDINALI RICHELIO.

EX *quo* RICHELIVS *pelagi ſuſcepit habenas,*
Cui non ſorte datus, ſed ratione tridens,
Plurima Neptunus famulans fert commoda Gallis,
Hoſtibus & contrà plurima damna parat.
Claſſis Achemenios populata Orientis honores
Mergitur occiduo naufraga facta mari.
Cernitur heſperias Hiſpanica gaza per vndas:
Hinc piper, hinc toſto cinnama lecta ſolo.
Plurima bacca perit conchis erepta marinis,
Dum repetit notas cærula Thetys opes.
Ne propera Eoos poſthac mercator ad Indos:
Merſa eſt Cantabricis India tota vadis.

Idem.

EIDEM, QVOD LAVDES RESPVAT.

RICHELIVM *haud facile eſt ulli laudare Poetæ:*
An quia ſit laudum non ſatis ampla ſeges?
Ampla ſatis: verùm tota hîc encomia Regis
Eſſe cupit, quorum gaudet habere nihil.
Si qua Viro ſurgit geſtarum gloria rerum,
Hanc aptare ſibi criminis inſtar habet.
Sed quorum pars magna fuit cum Rege laborum,
Si quid laudis habent, pars minor eſſe velit.
Dúmque ſibi rapit omne decus, Regíque refundit,
Pierios nobis eripit ille modos.
O nimium duras laudandi hoc tempore leges!
Quando loqui ſimul eſt, & tacuiſſe nefas.

Idem.

EIDEM EMINENTISSIMO CARDINALI DE COMMEATV IN RHEAM INSVLAM INTROMISSO.

INSVLA *ſupremos belli quæ paſſa labores,*
Non eſt paſſa tamen (DI *prohibete) iugum:*
Reſtat adhuc, multíſque malis oppreſſa reſiſtit
Arx non victa manu, ſed prope victa fame.

Numina trina fauent: animos Mars commodat intus,
Extra Neptunus, RICHELIVSQVE *iuuant.*
Quid loquor? hic animos, hic omnia ſufficit vnus,
Dum recreat miſſo languida membra cibo.
Pérque truces vndas, intérque hoſtilia tela
Omnimodam iuſto tempore mittit opem.
O Princeps dilecte Deo, cui militat æquor,
Et tempeſtates omina læta ferunt!
Magne pater patriæ, quæ ſecla ingrata recuſent
Indigetes inter te numerare Deos?
Marmora quæ ſileant, quis cartæ parcat & æri,
Quo te poſteritas officioſa colat?
Tu belli flammas proprio reſtinguere ſumptu
Non dubitas; pauci quos ea cura premit.
Dúmque faces primas in Regni limine ſopis,
Hoc ne conflagret Gallia tota facis.
Dúmque faces alias generoſa in pectora mittis,
Hoc ne frigeſcat Gallia tota facis.
O qualis quantúſque hodie RICHELIVS *extat!*
Qui ſeu malit aquâ, ſeu velit igne, iuuat.

Idem.

IN ANGLOS E RHEA INSVLA FORTITER EIECTOS,

Ad eundem Eminentiſſimum CARDINALEM RICHELIVM.

GALLIA *ne fatum, noua ne miracula iacta,*
Aut tibi deuincti ſyderis omen habe.

Néue iterum Aureliæ robur prætende puellæ
Certior ecce tuæ cauſa ſalutis adeſt.
Non timor Hiſpanæ claſſis molimina tarda,
Non tua tam largo caſtra dirempta freto,
Non fera tempeſtas: RICHELIVS *expulit Anglos,*
Huic operis tanti nunc decus omne refer.
Conſilio Regi ſemper ſuccurrere promptus,
Hoc propriis bello ſumptibus arma mouet.
Atque vt conſilio iuuit, ſumptúque, tuliſſet
Ipſe manu tandem ſi decuiſſet opem.
Attamen Auſpiciis ſunt omnia Cæſaris acta;
Hinc ſpolia vt par eſt Cæſar opima rapit:
Cuius ſola adeo præſentia terruit hoſtem,
Moliri vt retro cœperit inde fugam.
Et quamuis multi pars ſint non parua triumphi,
Vni pro cunctis dant monumenta locum.
Quæretur, Gallis quis finibus expulit Anglos?
Vno dicetur nomine, RICHELIVS.
Hæreticos iterum quis Gallis finibus egit?
Vno dicetur nomine, RICHELIVS.
RICHELI *magne, hoc metuo ne fabula fiant*
Geſta hæc quæ cunctam præteriere fidem.
Sed tamen hoc lætor ſimilis quòd fabula tandem
Qui fuerant homines fecit in orbe Deos.

Idem.

EMINENTISSIMO CARDINALI RICHELIO, IN CASTRIS REGIIS AD RVPELLAM

Imperatorio munere terra maríque fungenti.

SCILICET *Herculeo fuerat ſeruanda labori*
Gloria fatalem contundere fortiter Hydram,
Quæ plus ſepteno rediuiua repullulat angue,
Pergit & infeſto populos afflare veneno.
Hæreſis eſt, ferro flammáque armata rebelli,
Quæque impunè furens totum graſſata per orbem
Europam inuaſit, tetris vbi Lilia ſuccis
Imbuit, & Gallos miſerandis cladibus implet.
Tu nouus Alcides rebus ſuccurrere Regni
Natus, & horrendis tellurem exculpere monſtris
RICHELI *quæſitus ades, quem ſecla tulerunt*
Æquantem Heroas, ſuperantem grandibus auſis,
Quotquot in orbe virûm reſtant monumenta priorum.
Ingenio clarum, claris natalibus ortum,
Eloquio primum, nulli pietate ſecundum
Gallia te norat, norat virtutibus auctum
Innumeris, ſed non norat te Gallia bello
Inſignem, & dextrè Martem tractare ſcientem.
Namque vbi Rex belli ſummam, totúmque remiſit
RICHELIO *Mauortis opus plaudentibus armis.*
Cernere erat quantum imperio, rebúſque gerendis,

Et

Et quam ſe tanto præberet munere dignum.
Seu ductare viros opus eſt, ſeu ponere caſtra,
Aggeribúſque vias munire, & cingere vallo,
Partiri excubias, Ducibus præſcribere penſa,
Aut aciem inſtruere, & turmis miſcere cohortes.
Denique RICHELIVS *partes ſe verſat in omnes;*
Omnia ſolus obit, loca cuncta inuiſere ſolers,
Nec ſomno indulget, nec nummo parcit auito,
Nec dubitat cunctis caput obiectare periclis.
Auribus ah quoties tonuerunt horrida belli
Fulmina, tormento quoties exploſus aheno
Concidit ante pedes globus, aut dum cominus auri
Sibilat, innocuo perſtrinxit tempora lapſu!
Itque redítque tamen, luſtrat, monet, imperat, vrget;
Vt iam non Regem caſtris quis credat abeſſe;
Nam mens Regis adeſt; Et ſi fortuna dediſſet
Conſeruiſſe manus, manus hîc quoque Regis adeſſet.
O male-ſuada tibi, quid iam Rupella moraris?
Quid tardas aperire fores? extrema ſubire
Decreſti, & longo ciues conſumere tabo?
Conſilia in melius refer, & veſana relinquens
Orgia, ſupremæ te ſubtrahe ſponte ruinæ,
Auxilium præſens nullum, ſpes nulla futuri,
Intercluſa ſalus omnis terráque maríque,
Vndique funeſti riget inclementia fati,
Diráque defletos intentant omina caſus.
Pande triumphanti portas, aut diſiice muros
Tormentis, ne forte ruant ingentibus acti.
Quòd ſi Cæſareæ iuuat obluctarier iræ,
Tu regnum efficies vna minus vrbe, ſed ipſo

Excidio plures Regno dabis inſuper vrbes
Vt fiat iactura lucrum. Poſt funera nolo,
Conſurgant aliæ rediuiuo è rudere turres,
Cernat vt externus magni monumenta ſepulchri,
Atque ruinoſæ legat addita carmina moli.
Hic tumulata iacent ciuilia bella, tumultus,
Hæreſis, impietas, atque ipſa rebellis Enyo.
Qua Pius & Iuſtus LODOICVS *martia proles*
RICHELIO *monſtrante viam fœlicibus armis*
Suſtulit, & nunquam poſthac reditura peremit.

Idem.

IN IRRITOS CONATVS ANGLICÆ claſſis, Rupellæ ſubſidium allaturæ.

CLASSIS *onuſta dolis noſtras vſtura carinas*
Vritur, atque aliis damna parata ſubit.
Claſſis inacceſſi ruptura repagula clauſtri
Rumpitur, & tumido mergitur hauſta mari.
Anglia ne pergas fluitantes mittere turres,
Nil modo Rupellam quod venit inde iuuat.
Aduerſantur enim votis & pontus & auræ,
Succenſæque flagrant in tua damna faces.
Quid Rupella tumes? non eſt in mœnibus altis,
Non eſt in ſociis nauibus vlla ſalus,
Ni volucres fiant, voliténtque per aëra, vt olim
In piſces phrygias fertur abiſſe rates.
Nil terra excipiunt portæ, nihil æquore portus,
Sícque alimenta tibi cuncta elementa negant.

Bella moues ingrata Ioui de more Gigantum;
Quid mirum ſi te nunc Iouis ira premit?
Monſtrum es multorum capitum : miraris acuta
Cuſpide Neptunum monſtra marina ſequi.
Pone minas : tibi nunc res eſt cum Rege potenti,
Eſt cum RICHELIO *res tibi, pone minas.*
Jlle gerit fulmen dextra, tenet iſte tridentem.
An par numinibus vna duobus eris?
En tamen vna ſalus : animos poſuiſſe rebellis
Crede mihi, eſt tuto res poſuiſſe loco.

Idem.

IN AGGEREM RVPELLANVM.

QVI *dubitas cœptúſne ſuis ſtet molibus agger,*
RICHELIVM *ignoras forte præeſſe mari?*
Cerne Rheam ſtantem & ſileas : hoc auſpice, Regi
Nil quod ſpectat aquas difficile eſſe poteſt.

Idem.

QVOD MIHI CARDINALIS DVX rerum maritimarum hiſtoriæ deſcribendæ munus impoſuit.

CVM *mihi nauales imponis ſcribere pugnas,*
O vtinam ſit par viribus illud onus.
Liuius hoc detrectet opus, detrectet & ipſe
Romana Princeps Criſpus in hiſtoria.

Oenotrias etenim non ſunt audita per vndas
Prælia, quæ noſtro perſonuere mari;
Et quæ temporibus noſtris per littora nota
Gallicus Oceanus vidit & obſtupuit.
RICHELIVS *tamen hæc mandat conſcribere chartis,*
Haud renuo; vires cùm volet ille dabit.
Nec decus hinc aberit: nam per quem cætera viuunt,
Inde habet Auctoris ne moriatur opus.

Idem.

DE BELLO MINORIS INSVBRIÆ PER EMINENTISSIMVM ARMANDVM CARDINALEM de RICHELIEV fœliciter geſto.

INSVBRIÆ *bello Gallis decus aſtruit ingens*
RICHELIVS, *preſſum vindicat hoſte Ducem:*
Res Italas firmat, niſus compeſcit Iberos,
Et totam vinclis liberat Auſoniam.
Orbi ſi tantum per belli incommoda prodeſt,
Quid faciet, pacis commoda quando feret?

Idem.

DE EIVSDEM in Lugdunenſem Galliam expeditione.

VICISTI *occiduos Heros fortiſſime tractus,*
Nec pelagi cœptis obſtitit vnda tuis.

Nunc Martem Eoas victor traducis in oras,
Impedient curſus nec iuga celſa tuos.
Tempus erit Boream cùm tu aggredieris, & Auſtrum,
Nec glacies hinc te, nec calor inde premet.
Sícque decuſſatus tibi ſeruiet orbis ab omni
Cardine, deductum nomen vt inde feras.
Ordinis Auguſti ne cærula ſtemmata poſce,
Quæ latus argento nobiliore beant.
Fama triumphalem meliori ſtamine vittam
E quadripartito conficit orbe tibi.

Idem.

EIDEM,

Quòd eum Rex in ædibus Regiis habitare voluerit.

NVNC *tibi conſurgant aræ, nunc maxime Princeps*
Ante lares ſacros hoſtia multa cadat.
Donatus cœlo es, cæli te parte locauit
Juppiter, vt fundas clarius inde iubar.
Iam queritur damnum labefactæ lucis Orion,
Engonaſis radio pallidiore micat.
Scilicet vt toto creſcunt tua lumina mundo,
Lumine decreſcunt aſtra minora tuo.
Dúmque Iouis fauſtos propius moderaberis ignes,
Non erit aſpectu ſtella maligna nocens.
Tu ſegeti fœcunda Ceres, tu vitibus Euan,
Tu patriæ & Regno phoſphorus alter eris.
Senſiet has orbis dominatrix Gallia flammas,
Et mare non gemmas, ſed tibi regna dabit.

Antea magnus eras proprio dum lumine fulges,
At nunc vicino ſydere maior eris.

Idem.

EIDEM,

Burdegalæ morbo laboranti.

E*X quo* RICHELIVS *procul hinc à Rege receſſit,*
Incidit in morbum protinus ille grauem.
Vtque viri notos deſit Rex cernere vultus
Incidit in curas non minus ille graues.
Dux ARMANDE *redi : curis Rex illico noſter*
Liber erit, morbo tu quoque liber eris.

Idem.

EIDEM,

in deditionem vrbis Nancæi.

MIRARIS *Regi Nancæam vt prenderet vrbem*
Cur admota vrbi machina nulla fuit.
ARMANDI *ignotos cultæ miracula linguæ,*
Verbáque fulmineis æquiparanda globis?
Hæc pro tormentis Rex conſcius admouet vrbi,
Vrbis & extemplo mœnia cuncta patent.
Non ſatis arma Duci fuerant ſeruaret vt vrbem:
Vt daret hanc, aures eſt habuiſſe ſatis.

Idem.

EIDEM,

PRO XENIIS

EPIGRAMMA.

ARMANDVM *haud facile eſt vlli laudare Poetæ:*
An quia non laudum ſit ſatis ampla ſeges?
Ampla ſatis, verùm tota hic encomia Regis
Eſſe cupit, quorum gaudet habere nihil.
Si qua viro ſurgit geſtarum gloria rerum,
Hanc aptare ſibi criminis inſtar habet:
Sed quorum pars magna fuit cum Rege laborum,
Si quid laudis habent, pars minor eſſe velit.
Dúmque ſibi rapit omne decus, Regíque refundit,
Pierios nobis eripit ille modos.
O nimium duras laudandi hoc tempore leges!
Quando loqui ſimul eſt, & tacuiſſe nefas.

Idem.

VATICINIVM EXPVGNATIONIS NANCÆI. AD EMINENTISSIMVM CARDINALEM DVCEM.

DVM te, ARMANDE, *ſuis comitem Rex impiger auſis*
In Lotharenos abripiebat ouans:
Vt citò Pariſiam reduces tendatis in Vrbem,
Hoc pauidæ matres, hoc cupiere nurus.
At, quem laudis amor veſtræ generoſius vrit,
Non ego tam timidâ Numina poſco prece.
Quin agite, & totum victores quà patet, Orbem
Ab Gange Herculeum currite ad vſque fretum.
Si quis obex ſiſtat, LODOICI *forſitan arma,*
Solerti ARMANDVS *ſubruet ingenio.*
Hybernæ penetratæ Alpes, domitum mare, victa
Hæreſis, hæc noſtræ pignora certa ſpei.
Quàmlibet illa feros homines Germania, quámque
Munitas Vrbes ſorte, vel arte ferat,
In quaſcunque ſecent fidei diuortia partes,
Victores currus, Rex LODOICVS *aget.*
Quid NASIVM, *opponis ſtructas ad ſydera turres,*
Vis tua Rupellæ portio quanta fuit?
Non tu, quod vaſti importet commercia mundi,
Allueris magno mœnia ad alta mari.
Nil tibi ab Hiſpanis, nihil hîc ſpondetur ab Anglis,
Vndique ab externâ tu prohiberis ope.
Fors etiam dominæ tenuit fiducia Gentis,
Huius & auſpiciis Plebs tua, miles erit.

Et

Et potes his opibus, LODOICI obſiſtere cœptis?
Robora Gallorum Vrbs ſcilicet vna feres?
Præcipiti potiùs prætende repagula Rheno,
Aut etiam fatis, ſi potes, adde moram.
Quippe meo eſt tam procliuis victoria Regi,
Quàm fluuiis pronum vergere ad Oceanum.
Fatorum nec vim tam certa euenta ſequuntur,
Quàm certo mens eſt Regia fine tenax.
Obuia quòd primo iaceas in limine Regni,
Terrori Gallis fortibus eſſe putas.
Offendet metas nuſquam LODOICVS ad iſtas,
Europæ, atque Aſiæ dum ſola obire parat.
Eia truces depone animos: Regémque benignum,
Dum licet, obſequiis demereare tuis.
Ad mores non te Natura effinxit Iberos:
Non animus, non vox, non color ipſe ſinat.
Si te Hiſpana rapit diuerſam factio, ſi te
Conſternant nimio Caſtra Sueca metu.
Eſtne aliquod maius quo te tuteris Aſylo,
Quam ſi in præſidium Gallica ſceptra voces?
En Rex ad veſtras fixit tentoria portas:
In magni amplexus Principis irruite.
Ni facitis: tanto congeſta hæc mœnia ſumptu,
Icta velut Cœli fulmine, puluis erunt.

CAROLVS OGERIVS.

FRANÇISCI
ROTHOMAGENSIS ARCHIEPISCOPI, NORMANIÆ PRIMATIS,
AD EMINENTISSIMVM CARDINALEM DVCEM VOX POPVLI, SIVE EVCHARISTICON EPIGRAMMA.

QVALIA *Niliacæ ſpargit miracula Terræ*
Attonito certus ſub Pharaone Ioſeph;
Talis ab ARMANDO LODOICI *gloria creſcit,*
Nec tantùm externam Gallia ſentit opem.
Mitior extinctas ſtupuit Bellona ruïnas,
Et quæ non nouit ſemina Pacis habet.
Aurea Richelcæ ſonuerunt verbera linguæ,
Méque ſuum Vatem teſtificatur opus.
Duratura ſibi æternus monimenta Senatus
Colligit, & laudant ore tonante Patres.
Mixta refulgentem percellit purpura lucem,
Iam potis hinc oculos, hinc ſatiare manus.
Quid non ſperemus, Populi melioris amantes,
Te duce ſi Populum priſtina damna iuuant?

NANCÆVM RECEPTVM,

Ad Eminentiſſimum

CARDINALEM DVCEM.

POSTQVAM *altum cecidit Naſium, Regique ſuperbæ*
Murorum ceſſere minæ, tremefactáque circum
Ora metu fremit omnis, & vltimus audiit Indus:
Muſarum tulit in mediam ſe læta coronam
Gloria RICHELII, *ac tales dedit ore loquelas.*
Illa ego ſum, magnum latè quæ fuſa per orbem
Terras, Oceanique ſinus, cælúmque profundum
Impleo, & aſtrorum ſuprema in parte quieſco.
Non me cœca tulit ſortis, caſúſve libido,
Sed vetus antè Cahos rerum me fata, Iouiſque
Conſilium parit ac terris mihi maior origo:
Demum vbi Dij voluere Polo demiſſa ſereno,
Ipſa ſub ora virûm mortales labor ad auras;
Actutum latè gentes, & inhoſpita ferri
Regna per, ac clarum longè increbeſcere murmur,
Ipſa facem ducens pernicibus æmula ventis
Multa ſuper terris volito, ſuper æquore multa.
Ille mihi primus teneræ labor: hinc ſuper atram
Nitor humum victrix, & amica remetior aſtra.
Certatim tum quiſque afflatus numine noſtro,
Siue domi partas laudes, ſiue extera bella,
Aut tectos Regni ſocios, aut reddita genti
Iura ſuæ, aut fractum LODOICO *narrat Iberum;*
Ille ſed inuictæ miratur mœnia Rupis
Fuſa iacere ſolo, atque humiles æquare miricas;

Ille indignantem vinclis aſſueſcere Pontum,
Et feros Angli niſus, dubióſque futuri
Santonas, & ſtratum nequicquam claſſe profundum;
Atque ego tum (Regi quamquam certare recuſem)
Oceani vt creui damnis vbi mole laceſſo
Neptunum, & ſurgo Neptuni maior ab ira.
Ille Seguſiaci ſuperata cacumina montis,
Præcipitémque fuga Allobrogem, vulguſque pauentum
Dicit, & oſtenſam dextra victoris oliuam;
Pacatáſque domos Iani, pulſóſque Caſallo
Heſperios bello feſſos, & læua timentes.
Ille domi extinctos ignes, & tempora fatur
Horrida, purpureum fama eſt timuiſſe colorem
Quum fluuios, Rhodanúmque & turpem clade Garumnam,
Tum verſas acies, & ineluctabile victi
Supplicium imperij ſuprema lege tuendi;
Quondam illum clarum ſtirpe & virtute nepotes,
Et ſcelus & ſceleris veniam meruiſſe negabunt.
Ille autem Naſij metuendam Regibus arcem,
Aggeribus tutam centum atque hoſtilibus armis,
Pandentem memorat victori mœnia Regi.
At nuſquam peritura fides olim hæc quoque ſi fas
Credere, venturis referent cum talia ſeclis.
Hos coram niueo ſonitus edebat ab ore
Gloria RICHELII, *non inferiora parata*
Dicere, captiuum Gallo ſub vindice flumen
Sæuus hiperboream mittet quum Rhenus in vndam,
Quum veteres Regni metas poſuiſſe licebit,
Quum patrios renouare lares, quum vertere primas
Maiorum ſegetes, & auita haurire fluenta.

AMABILIS BVRSÆVS

AD EMINENTISSIMVM CARDINALEM DVCEM RICHELIVM, SVPPLEX CARMEN.

INclyta ſe campis quà Gloria pandit apertis
Alma Themis, nuper certatum ex iure vocauit,
Conſertúmque manu præclara in munera Myſtas,
Quorum pars non parua fui, dedit ardor honeſti
Hos animis ignes, & quæ modò ſola togatæ
Præmia Virtuti, Muſiſque relicta ſeueris,
Quarum tu vindex, vnus quas aſſeris Orbi:
Per Genium, Noménque tuum, diſcrimine tanto,
Iuerat has in ſpes animus, téque auſpice tutus
Carceribus ſeſe præceps effuderat amplis,
Et mentem dabat ipſa Themis, nutúque iuuabat:
Vni quis dubitet, gemino ſub Numine, ſorti
Credere ſe? aut hoſti paribus concurrere telis?
Omine tanta tuo dum ſe res Gallica tollat,
Conſiliiſque innixa tuis! tibi conſcia fati
Pectora, tu cœli curas ſatagentis, & omnes
Principis euoluis ſecretos ordine ſenſus.
Siue domanda venit plures vexata per annos,
Quæ temerè eſt nimium motus imitata rebelles,
Et vetat extructas Diuis maioribus aras
Inſani cultus feritas ritúſque profani:
Quas olim terrori arces audacia ſtruxit

Diſiecta, oſtentant fœdi monumenta pudoris:
Seu vincendus Iber fatis contraria noſtris
Præ ſe fata ferens abruptas ambiat Alpes,
Et duras cautes obiectis muniat armis;
Non ferro, non ille loco, non agmine tutus
Sternitur, inuitúſque viam dat vbique ruina.
Quin Padus exultans, ſerò ventura trahentem
Fata vocat, prohibétque pias lugere Sorores,
Electrumque iubet riſus iam nomen habere.
Et quamuis fremat incertis Inſubria votis,
Spémque metúmque inter nobis haud ſponte minetur,
Haud oculis equidem circum ſe ſpectat iniquis;
Gallicáque auxilia, & ſeruatas fortibus arces
Maxima venturis rebus momenta daturas:
Necnon & Rhenus placidis tranquillior vndis
Signa videt noſtra, & communem deſpicit hoſtem
Obliquo cornu, nec dum iuga ferre paratus.
At ſi fortè leues agat in certamina Gallos
Ira Deûm, vel fraus hoſtilis, & impia vota,
Indulges tu clàm lacrymas ciuilibus armis,
Paciferæque palàm pignus prætendis oliuæ,
Nec ſæuire ſinis cognata in viſcera dextras,
Tantus amor patriæ; ſic te Regíque Deóque
Acceſſiſſe iuuat, tanta eſt prudentia rerum.
At tibi dum creſcunt patriæ regnique decora,
Et tua ſupremis adſunt oracula rebus;
Infeſtas in nos miſit ſententia ſortes
Improba funeſtæ patimur nos damna repulſæ
Immeriti, dum nos iniuria ſperat inultos,
Verùm ô vos, ſi quæ Gallis, clariſſima teſtor

Lumina Iuſtitiæ, Tíque ô ſanctiſſime Veri
Interpres iuriſque tenax, in crimina fraudis
Appello Vltorem; litis primordia tantæ
Ante oculos ſtrictim ſignata hoc lemmate pando,
Ipſe proba; ſcelus hoc optandum, vltróque fatendum
Admiſi facinus, Themidis penetralia vidi
Conſcius, & Diuæ prudens arcana recluſi:
Crimen in hoc da ſupplicium; nec Iudice tanto
Principis, aut Iuſti fœlici ætate verebor,
Infœlix virtus noxa vt vitiúmque vocetur.

I. BARRAVD, Conſiliarius Regius, & eiuſdem in Academia Pictauienſi Anteceſſor.

DE PVERO PRIVATENSI E SINV interfectæ matris erepto, & ſummo ſtudio Cardinalis de RICHELIEV ad educandum tradito,

EPIGRAMMA.

IVSTIS *neglectam ſuperis euerterat vrbem*
Vulcani & Martis dirus vbique furor.
Ventorúmque acies, & ſolo tarda cruore
Fauerat Vltori conſcia flamma Deo.
Ceu buſtum ſua cuique domus, ceu triſte ſepulchrum
Tunc erat, & nulli ianua clauſa neci.
Calonum cùm vulgus iners, & turba vagantum
Quæreret exuuias relliquiáſque foci.
Seminecem inuenit puerum, matrique peremptæ
Affixum, crudo ſanguine tincta cohors.

O quæ fatorum artes, inſtrumentáque ſortis?
Attamen inuito ferre poteſtis opem.
Auulſit letho miſerum gremióque cruentæ
Matris, quæ rurſus poſt ſua fata parit.
Illi ſumma dies nato quæ prima fuiſſet,
Si cunctis eadem ciuibus vrna foret.
An leuis in caſſum ſoli fortuna pepercit,
Eripuitque ſuo torrida membra rogo?
Cur cæcas hominum diuûmque eluſerit iras,
Aut quæ fata vetent enſe vel igne mori?
Omen naſcentis melioráque ſydera nati
ARMANDI *fœlix implet & auget amor.*
O quàm fauſta tuis proſpexit rebus eumdem,
Quæ tibi, quæ Gallis ſors dedit vna patrem.

DU CHASTELLET, Sanctioris Conſiſt. Conſil.

SOTERIA
PRO RICHELIO EMINENTISSIMO.

CERTENT *lætitia dolore nuper*
Certantes animi, timore victo
Ne fido liceat dolere ciui,
Si quando ſuperum domantur iræ,
Iam totus lacrymis reſedit æſtus,
Eluſúſque Iouis tonantis ictus
Vano murmure verberauit auras
Cæcas artis opes, opúſque fati

Noſtris

Noſtris auxilium fuiſſe curis
Coniectare nefas ſalutis autor,
Exorata piis manus querelis,
Et ſecura fuit medela morbi,
Quæ toti ſapiens medetur orbi,
Quæ lamenta tuis dediſſet vmbris
LVDOVICVS, *amor tuúmque ſydus?*
Quantum Gallia funerata læſæ
Fleuiſſet patriæ bonum parentem?
Toto talis eram pauente Regno,
Qualis Cimba ſuam ſecuta nauim:
Naui iuncta perit furente ponto,
Et pro parte ſuas receptat vndas,
Maiorique ſubeſt minor labori
Mutatur facies, ſtatúſque rerum,
Et ſaluo duce, ſaluus omnis extat
Albo dignus erit dies lapillo,
Et nullis ſacer exoleſcet annis,
Qui tantum eripuit neci Miniſtrum,
Et regno columen decúſque reddit.

Idem.

VOTVM
AD BEATAM VIRGINEM PRO EMINENTISSIMI CARDINALIS RICHELII VALETVDINE.

ALMA *parens, quam Virgineo ſub pectore ſummi*
Numinis æternam ſobolem fouiſſe tenemus.

Quæ noſtris medicina malis, gratúmque leuamen
Eſſe ſoles, ſi quid Francæ te cura coronæ
Francigenum ſi vota mouent, hanc aſpice vitam,
Quâ Regni ſubnixa ſalus & vita potentis:
RICHELIVM *ſerua incolumem, ſcis Virgo proborum*
Eſſe ducem, quorum tollit ſe ad ſydera virtus,
Puráque ſacratis infertur victima flammis.
Scis nobis & ab axe datum, quò Francica cœlo
Gloria ſe tollat, totúmque triumphet in æuum.
Hoc igitur noſtræ decus immortale coronæ
Hoc donum æthereum ſerua: procul exulet omnis.
Te mandante dolor, ſacros nihil exedat artus,
Nil mentem ingentem, nil fortia pectora tentet.
Iucundi niteant ſoles, nocturna ſoporem
Tempora dent placidum, vitæ det ſecula Numen,
Cunctáque Pleſſæi ſuccedant congrua voto.
Nos tibi pro Regno ſeruato dona feremus,
Acceptámque tibi referent hæc ſceptra ſalutem.

Hæc cecinit Muſa Eminentiſſimo
CARDINALI addictiſſima.

DE ADMIRABILI PRVDENTIA, ET incomparabili eloquentia eminentiſſimi CARDINALIS.

CREDIDERAT *feciſſe in te miracula Pallas*
RICHELI, *& ſummas hominum Sapientia vires*
Exeruiſſe: ſed ecce pari ſpectandus honore
Mercurius certamen init, vincétne tamen laus
Ætheræ mentis, ſacro quæ maxima torquet

Conſilio imperia, & rerum ſic tractat habenas,
Vt felix toto celebretur Francia mundo,
Nec patriam indigena, externus nec terreat hoſtis.
An ſibi blandiloquo victor petet ore coronam
Mercurius Pleſſæe tuus? Prudentia Diuum
Eſt conceſſa tibi, pariter facundia Diuum,
Nec ſe alio Aligeri prodant ſermone loquentes,
Nec de aliâ poſthac mundus ſe Pallade iactet.
Non ea quæ quondam cerebro Iouis orta, triumphos
Obtinuiſſe pares, monumentáque talia fertur.
Haud ſimili ac ſuperos fatur Cillenius ore,
Quippe hunc dicendo ſuperas, ſapiendo Mineruam.
Quis tua non nouit toto miracula Regno?
Heſperiæ cecidit tumor, & tu ſolus Iberos
Conſilio viciſti omnes, téque auſpice noſtri
Nunc Alpes, nunc Tellinæ loca frigida vallis
Luſtrauere Duces; necnon victricibus armis
Rupellam impleuere metu, domuere rebelles.
Tota aliud tacitè loquitur, quondámque loquetur
Altius è magno cernens ſe Francia luctu
Arte tua ereptam, & mœſti diſcrimine belli.
Nunc eadem excipiens ſacratæ oracula linguæ
Non hominum ex numero, ſed te putat eſſe beatorum
Vnum aliquem, & populis diuinas reddere voces.
Obſtupuit Rex ipſe potens, cùm dulcia nuper
Verba dares, ſtupuere omnes, cœpitque fateri
Lecta cohors mentem eſſe ſacram, diuináque tanti
Verba viri. non ipſe alio ſermone moneret
Rex diuum populos, alio non ore Suada
Diceret, aut tantis leniret vocibus aures.

At te Cælicolæ ſeruent, quo ſoſpite Regna,
Regis amor, populi ſtudium, & pia iura vigebunt.
Quem virtus, quem Relligio, Muſæque parentem
Agnouere ſuum, & cuius ſuccumbere fato
Publica pax debet, Phœbúſque decúſque ſororum.

Eadem.

Fragmentum ex Poëmate cui titulus:
PROSOPOPOEA MEGATHYMI,
Fortunæ inſultus virtute ſuperantis, Anno 1630. menſe Nouemb.

NAMQVE *ego ſum, cui ſponte ſuũ pectúſq; manũque,*
Fulmináque, & iuſtas commiſit Iuppiter iras,
Cum noua Rupigenæ mouerunt bella Gigantes,
Et patrio auulſit ſe tota Britannia Ponto,
Auxilium obſeſſis longo meditata paratu;
Flammiferáſque ciens vaſta in molimina Puppes
Ignibus armatis, Vulcanique arte magiſtrâ,
(Sed fatuas glomerans in bruta Tonitrua flammas)
Per tot vbique Hoſtes, per Tigna infeſta Carinis,
Dædaleóſque dolos, aliámque ſub æquore Claſſem,
Tótque nouos ſubitâ ſurgentes arte Caphareos,
Miratiſque recens luctantem fluctibus Iſthmum,
Heroûm armatam dextris ac vindice ferro,
Fruſtrà aperire vias, & in inuia viſa receſſit.
Attollentem vndas, æſtúque iráque tumentem
Indignata rapi Neptunum in vincla, nouóque
Aggere dilectis arceri Nerea terris:

Vix oculis quæſita fides, cùm territa viſu
Obſtupuit vincto quæ fûgit ab æquore Claſſis.
Mox fera Rupellæ potuerunt clauſtra, ſuúmque
Mox æquanda ſolo Victorem mœnia Regem
Excepere ſinu, & quernâ ornauere Coronâ
Seruati poſt longa famis diſcrimina ciues,
Ac dilata diu confert quæ gaudia victis
Splendidior nulli victoria debita ferro.
Hinc cita tranſcendit montes fortuna, ſuiſque
Alpibus Alcidæ ſimilem, monſtriſque minanti,
Annibalémque ſuper ventos Hyeméſque volantem
Allobrogum videre Duces; nec ſaxa, nec altæ
Attonitos iuuere niues; nec profuit vſquam
Munitis hæſiſſe locis, ſpes irrita valli
Ceſſit, & armatis ſcopuli tremuere procellis:
Nec vanæ tonuere minæ, tremit ipſe Sabaudo
Iunctus Iber, preſſámque (pudor) mox deſerit vrbem,
Pace fugam condens & amici fœdere Pacti
Perfidus, ac fato infœlix rediturus eodem.
Inde nouo victrix clementia Marte feroces
Exarmat populos, & dedita mœnia pandunt
Tectoſagæ ſolâ domiti virtute Rebelles.
Miratóſque fidem fidei ſub imagine falſæ
Pœnituit rupiſſe fidem, pepulitque timorem
Qui Regis ſucceſſit amor; præſentia præpes
Aduolat, & cœcæ diſpellit nubila turbæ,
Pérque oculos arſere pio ſuffuſa pudore
Corda virûm, & captas tenuit victoria mentes;
Ciuilique egit tot pectora fida triumpho,
Quot priùs infandum ſpirabant perfida Martem.

Ipſe ſui Mons-Albanus victoris adorat
Imperium, faſcéſque nouos, ignotáque iura
Amplexus mediis Pacem miratur in armis:
Et dum talis ago, dum ſic iubeóque, vetóque,
Obſequium meruiſſe putat tam iuſta iubentem,
Ac diſcit parere lubens, cùm bella vetanti
Bellantes parere videt; me faſſus in vno
Arte ſagi Themidem populis fulſiſſe togatam;
Palladis aut Numen, ſed ne terreret Amantes,
Ægide proiectâ, & læuâ, quâ ſæuit, inermi
Horrificæ poſuiſſe minas ac colla Meduſæ.
Vſque adeo virtute potens fortuna, nec illi
Aut maria, aut montes, aut duri pectora vulgi
Inuia! ter fœlix ſi non violanda pateret
Inuidiæ, cæcæque vagis rumoribus Aulæ.
O Procerum tabes! ô iuſto innata fauori
Et numquam ſanata lues! ô peſtis honorum,
Semper in alta potens, nimiúmque inimica potenti,
Fœta venenatis ac felle, calumnia, linguis!
Tota caput, tota os, feralique vndique rictu
Bellua, ſponte ferox, percuſſa ferocior, atque
More renaſcentis rediuiua ſub ictibus Hydræ,
Cur tuus infandas dens rodere Sceptra per artes
Tentat, & exeſis euertere Regna Columnis?
Ille potens rerum, vt tanti ſub Principe rector
Imperij, ſenſi latrantis atrocia monſtri
Vulneráque, & morſus, & acutæ verbera linguæ
Per famam, ac ſtolidi mendacia murmura vulgi;
Donec & hic magni matrem Iouis abſtulit error,
Et quæ me ad tantæ tulerat faſtigia ſortis

Detulit ipſa reum, atque odio damnauit acerbo
Inſontem, charúmque priùs: blando illa ſuſurro
Gliſcit in abſentem, natique ad Principis aures
Et totâ me matre petens, maleſuaſa querelas
Arcano fert ore ſuas. Quis talia fando
Expediat, quantæque animis cæleſtibus iræ?
Et reticere decet, nec amat victoria dici,
Diſplicuit quæcumque Deæ: pars læta laborum
Mortales ſuperaſſe fuit; ſed vbique remanſi
Auſoniæ campis, Dominique in pectore victor,
Inuidiam virtute premens, peſtémque, famémque,
Et quicquid bello ſe triſtius extulit ipſo.
Mox quaſi ius violans iuſtis vis crederet armis
Aduerſi cecidere Duces; & funere trino
Herculis vltrices viuus ne ſentiat iras
Geryon triplici diſperſit membra ſepulchro.
Hunc, Germane, gemes; illum ploraſtis, Iberi;
Allobroges luxere ſuum; tria de tribus vmbris
Lilia tres ducunt fatorum lege triumphos,
Et trini pretium trino tres fœnore ſoluunt,
Dum lauros LODOICE *tuas palmáſque recentes*
Conſiliis exculta meis comitatur oliua,
Seruatiſque redit facies te vindice terris
Pulchrior, atque acie pax hoſti extorta propinquâ.
Sic iuuat egregium linguâ dextráque fuiſſe
Mercurium, Martémque Ioui; ſic pace reductâ
Auertiſſe nefas, dignóque Atlante ruentem
Italiam fulciſſe, ſuis quæ libera monſtris,
Nec iam aquilas, ſæuóſque Tagi paſtura leones
Erigitur, verúmque agnoſcit corde parentem;

Præteritique memor, præſaga poténſque futuri,
Ad ſua purpureos inuitans vota Quirites,
Et modò pacatæ concordia Numina terræ,
Pro fructu & tanti iuſtâ mercede laboris
Spes animo auguſtas & ſede oſtendit in altâ:
Vt meriti laudiſque ſuæ mihi conſcia virtus,
Nec donis capienda tuis, nec, Francia, Regnis,
Præmia fatorum Tarpeiâ expectet ab arce;
Nominibúſque & famâ ingens, ingentior actis,
Gallica tota licet matri non extera Romæ,
Iamque omnes emenſa gradus, ad culmen honorum,
Iudiciis mundi, cœlique fauoribus æquis,
Surgat & Auſoniæ faſtigia celſa Tiaræ.

D. L. B.

Excerptum è poëmate cui nomen
ICON.

Idque omne vnius monitis, genio, atque inſtinctu
RICHELII DVCIS, *æternas qui pectore curas*
Immenſo, Superúmque fouens arcana Deorum,
Atlantis Galli, quà rerum pondere feſſus
Reſpirat, ſeſéque oneri furatur iniquo
Par fuit Herculeâ munus ceruice ſubire,
Liligeræque Ratis per tempeſtatis acerbæ
Ciuiles motus, Europæáſque procellas
Vndique iactatæ clauum fœlicibus vſque
Auſpiciis moderatus opi miracula noſtræ
Exhibuit, nunquam ſero credenda nepoti.

Qui

Qui pede ſecuro gradiens per lubrica Sortis,
Caſúſque ancipites, ac prona pericula Rerum,
Dum ſibi quiſque timens Tutelas ambit, & Orbis
Imperium ſuſpendit adhuc fatalis Enyo
Inter diſcordes, Terrarum numina, Diuos,
Haud vnquam vllius, fuerit licet ipſa Cybele
Mater, vel Ioue ſit ſatus ipſo, haud vllius vnquam
Numénve agnouit, neu rem reſpexit alius,
Quàm Regis, Dominíque ſui. Qui munia Pacis,
Ac Belli quocunque ſtatu ſibi credita Rerum
Gnauiter, atque animosè obiens, & vbique fidelis
Indeflexa Miniſterij veſtigia ſeruans,
Deſpectis odiis, ſpreto liuore, ſalute
Neglectâ, miſſóque omni poſt publica voto,
Gallica diuiſis quæ viribus vndique caſſa
Reppererat, laceróque palàm deformia vultu
Regna ſuis non tantùm opibus, decoríque priori
Reſtituit, ſed & antiquæ plus limite toto
Celtidos, ac veris Rheni confinibus auxit.
Qui Titulis maior, Trabeis auguſtior, Oſtro
Sanctior, euentu conatus, vota potitis,
Famam re ſuperans, virtutis ſtemmata Gallæ,
Francorúmque potens tantùm decus extulit Orbi,
Quantum par ſperare minùs fuit, vnde perennes,
Quos ſibi munifico ſub Principe nactus Honores
Dignior, vt minuit meritis, ita gratibus auxit,
Clarauit geſtis. Qui denique natus in Æui
Solamen, Clerique decus, Regníque ſalutem,
Quanquam perpetuis obnoxius inde Potentum
Inuidiis, cunctæque odio, teliſque petitus

Europæ, tamen ingenio quo præualet, & quâ
Cœleſtis radij, quâ noſtrûm cuique Prometheus
Illuxit face, Mortales ſupereminet omnes,
Sic Sibi, ſic Rebus paſſim proſpexit, vt Hoſtes
Vſque ſui, Patriæque omnes eluſerit, Aulam
Artibus, Hiſpanum technis, ac viribus Auſtrum.
Humanúmque opus egreſſus cœleſtibus auſis,
Fatum conſilio, virtute pericula vicit,
Inuidiámque ſui tandem conſumpſit amore.

Iacobvs Favereav, in ſuprema
Vectigalium Curia Senator.

EXCERPTA E CARMINE
B. de Vias, de Rupellæ excidio.

Nil armis obſtare ſuis, non impia moles
Enceladi, non vnda poteſt, cui Iuppiter ignes,
Frænatos, Nereus voluit cui tradere fluctus;
Richelei*que animos & plenam numine mentem*
Adiungit Regni curis, non fortiùs alter
Auguſtum ſuſtentat onus, fidóque labore
Conſtat, & humanos propior Ioue dirigit actus.
Vrbs infracta malis dum proſpera fata ſinebant,
Magna mari terráque, & dedignata ruinas
Ilion eſt, noménque ſuæ memorabile cladis
Maius erit quàm ſortis erat, damnóque ſuperſtes
Incutiet populis hoc Principe victa timores;
Sternetur Ciuile nefas, Batauíque Daníque
Hac ſperans pereunte Aquilas & bella remitti.

Auſtrica, cognatúmque Britannus poſcet amorem,
Linquet Iber Latios, Monſerratúmque tenebit
Mantua, & Auſonias Pax lætior ibit ad vrbes.

B. DE VIAS.

EX PROSOPOPOEA RHEÆ INSVLÆ.

Conſiliis, bellóque potens, RICHELLIVS, *vrget*
Rurſus agi pelago, rurſus contendere in hoſtes,
Quippe decet tantis inſtantia damna periclis
Præcipere, & rebus ſtatim ſuccurrere feſſis.
Nec mora tam celeri ruit actus remige lembus,
Sic volat, vt nexis ſuperans obducta carinis
Oſtia, non certum, an'ne ſuper, ſubtérque mearit.
Fit via vi (mirum) lembis ceſſere carinæ,
Quæque rates quaſſant lembos iuuere procellæ.
Sic monitis, iuſſiſque tuis fortiſſime Præſul
Imponis tu fræna mari, tu claſſibus vnus.
Auſpice te, mediis, Regi, Neptunus in vndis
Paruit, & madidi ſummiſit iura tridentis.
Sed nobis ſupereſſe poteſt fœlicior ætas,
Si, duce te, facilis Regi ſua fulmina credat
Iuppiter, atque duplex Regnum regat vna poteſtas.
Aude, age; iam nobis virtus hæc fata peregit,
Sudantémque potes lauro tergere laborem.
Vicimus Oceano, nec te victoria noſtris
Proripuit terris (iuſta modo) Marte fauenti
Nil opus eſt, iam iam rapidus defluxit in oram
E lembis animoſa manus, quæ fulminis inſtar

Grandia fœdifragi contundit caſtra Britanni,
Cúmque hoſtes dare terga parant, fugientibus inſtat,
Præcipit enſe fugam, vexilla cadentibus aufert,
Seminecéſque ſolo ſternit, calcantur vbique
Arma, viri, caderéntque iſthic, niſi terga dediſſent,
Agmina prima Ducum, pedibus, quæ prælia tantùm
Suſtinuere citis, Parthos imitata fugaces
Queis iaculum deerit. Tali duntaxat Achillis
Vulneribus patuiſſe ferunt. Angla agmina contra
Pugnarunt talis, reliquis quia ſaucia membris.
O dator alarum metus, ô quàm præpete penna
Degeneres rapuiſti animos, quando impia ceruix
Anglorum, in noſtri penè ſtabat militis haſta.
Vt pauefacta, nemus, damarum turba peragrat
Et longam perpeſſa fugam, mox impete preſſo
Siſtitur, auditura canes, aut cornua rauca
Tum ſubitò refugit longis latratibus acta,
Hanc nempe auditi ſequitur terroris imago.
Sic fugit Angla cohors Gallorum territa turmis
Mox ita ſtat regreſſa rates, procul aure reſumens
Armorum ſonitus: dat ſe, claſsiſque repente
Tota fugæ, auditi metuens ſimulacra pericli.
O qualem bello ſe prodit Gallica virtus!
Surgit & ô quantis victor SCHOMBERTVS *in armis!*
Illum ſi citiùs, ſocióſque ea cura ſubiſſet
In medias penetrare acies, & vincere ferro,
Vltimus ille dies tibi, Boquinquane, *fuiſſet,*
Et, Sobiſe *tibi, caput horum, & cauſa malorum.*
Tu Regni turbare decus, tu turpibus auſis
Aggreſſus patriam toties damnare ruinæ.

Quas pœnas Veſane, dabis, ſi prælia rurſus
Conſeris, & noſtris iterum bacchàris in oris?
Lictori ſeruata cades, non victima Marti.
Quid fremis Angle fugax, quòd vaſta in vulnera ferrũ
Quæ tantæ potuere manus? fas, iúſque, piûmque
Vltoréſque Dei fracto de fœdere pœnas
Accipiunt, pellúntque tuas de littore turmas,
Quæ turpes celerent reditus, patriæque nefandæ
Funera pro vanis referant ducenda triumphis,
Et ſtupeant pulſam terreſtri turbine claſſem.
En leuibus Rupella fides tua credita ventis
Et commiſſa mari, ratibúſque fugacibus arma.
Perfidiæ cladíque tuæ ſociaſſe Britannos
Profuit, an ne tuis deerant hæc fata ruinis?

ANONYMVS.

EXCERPTA E TRIVMPHO LVDOVICI XIII.

Inter honoratum latè caput arduus infert
RICHELIVS, *Romana humeros cui purpura veſtit.*
Nec verò indictum noſtro te carmine fas eſt
Prætериiſſe mihi rerum pars maxima, Franci
Nominis & Regni columen. quo iuſtius author
His nemo inceptis, & ad huius pondera belli
Tertius adſcribi à ſuperis, ac Rege meretur.
Qui cùm peruigiles curas, ſacratáque mentis
Abdita, nec faciles Regni partitur habenas.
Quem Deus æternis rerum primordia verſans

Conſiliis, populique memor tot caſibus acti;
Hæreſis, indomitæque olim dum deſtinat vrbis
Fatalem excidio Regem, non mollibus auſis
Participem, tantíſque parem conatibus addens,
Ingenio, ſummíque opibus præſtruxit honoris.
Hac comitante manu, & diſcriminis immemor vltrò
Crebra laborantum, & duro ſub faſce gementum
Agmen obit Princeps, & quà ſe prouidus Heros
Fert, comitem per cuncta Deum rapit. auctus vtrumque
Fecit adeſſe fidem vallum properantibus ardor.
Tùm nec opina ſalus. Cùm tot per inane volutæ
Affluerent mortes; tam crebrâ grandine tortæ
Inter ſaxa pilæ, Neptuniáque arua perirent;
Pectora qui tantis nunquam ceſſiſſe periclis,
Corporáque his intacta, Deo ſine vindice, credit,
Eſſe Deum ignorat. vel ſi fors Numinis intus
Eſſe aliquid ſperat: partes iniungit eaſdem,
Quas prius Actæi cultor mandauerat horti.

P. Dionysivs Petavivs è Societate Ieſu.

Ad Eminentiſſimum D. D.

IOANNEM ARMANDVM CARDINALEM DVCEM DE RICHELIEV, &c.

De reſtitutâ ſanitate & fœliciſſimo eius reditu.

NACTA *Duces reduci Fortunæ templa vetuſtas*
Aurea deuouit, plenóque ad ſidera, gratas
Læta ſinu voces, reditu cumulata ſuorum
Extulit. O quantas meritis pro talibus ædes!
Quæ non; Diua, æterna ſibi ſacraria condi
Poſceret, & lectis ornari floribus aras?
Cùm poſt letiferas vario medicamine peſtes,
Depulſa aduerſi ceciderunt nubila morbi,
Magnáque poſt lachrymas, etiamnum gaudia ſurgunt.
Reſtituit vultum, mediáque in luce refulſit
Dux Magnus, regnóque diem præſentior egit.
Vtque Notus denſos ſimul imbres colligit, atris
Inuoluens orbem tenebris, quas luce coruſcâ
Sol abigit: Dùcis aduentu, caligine pulsâ
Sic eſt facta dies: & tandem, Gallia, cæcis
Nubibus exuitur belli; mutata regreſſu
Quantum eſt illa tuo! diffudit in omnia præceps
Membra vigor, redíitque calor natiuus iiſdem.
Iámque parat ſplendore ſuo præſagus obire
Cuncta nitor, ridétque tuo natura ſereno.
Quam ſacer ille dies longos procul ibit in annos,

Quo veniſſe Ducem populoſa Lutetia Celſum
Perſonat, & gauiſa recens per mœnia clamor
Diditur: Ecce Venit. portas numeroſa per omnes
Turba ſalutatis accingitur obuia ſignis
Aduentu recreata Ducis, conuerſáque fata
In melius dum audit, Regi, partóſque triumphos.
Te ſudante tamen, nec Te ſine fortia geſta:
Quiſque ſuâ, Te, voce Vocat, Dux Magne, decúſque
Ætherium, decus, ô, Noſtrum, orbis gloria Franci
Altera, qui finem feciſſe tumultibus vnus
Dignus, & inuicto Regi laudatus Aceſtes.
Nil mœſtum nobis, inconcuſſique penates
Florebunt: quid enim quamuis infida, leuíſque
Vel Duce tam dextro poſſet fortuna timeri!
Quæ vis illi ānimi? nullo leuis acta mouetur
Terrore, aut facilis noua reſpicit, & miratur
Naſcentes inter plauſus vox omnibus vna
In laudes ibat Ducis, & certare parati
Lætitiâ Proceres: melior reuireſcat in annos,
Ingeminant, celeris fila & damnoſa ſenectæ
Exuat. heu tanto Regnum ſpoliare miniſtro
Suſtineat quiſquam? grauis inclementia fati
Terruit: at deinceps exacti computet æui
Nemo modum; Euboicì tranſcendet pulueris annos
Neſtoreóſque ſitus: doctâ velut arte refectus
Telephus Æmonia longæuas hauriet auras,
Et vitæ natalis erit, vigiléſque remittet
Curas, imperiúmque animi ipſa in membra vigentis
Hæc teſtata fidem prænuntia ſidera ſignant:
Luciferum poſſis roſeo cum Sole videre.

At

At mihi nec Phœbus vires, animúmque miniſtrat,
Nec ſcio, digna litem quâ nunc tibi pauper acerrâ,
Hoc animi eſt: ſed ſæpe Deis hos inter hono res
Ceſpes, & exiguo placuerunt farra ſalino.

Idem.

AD EVNDEM EMINENTISSIMVM Auſpicium fœlicitatis.

NOX *erat, & placidus Diuorum Somnus, amicam*
Laſſato ingenio conciliarat opem.
Viſa mihi numquam, Longis Dea venit ab oris,
Jmpetiit geminum protinus illa latus.
Surge, ait, indultum ſat ſomno: vbi Apollinis artes?
Et circumfuſi ſacra corona chori?
Dic vbi ſunt? rediit Princeps ſacratus, & Orbis
Franci clarus apex, ordinum & omne decus.
Parta quies, ſociíſque comes diſcordia Regnis
Diſſilit, atque procul nubila Phœbus agit.
Aonidum ſacros hauri de fonte liquores,
Sic votis dabitur maximi adeſſe Ducis.
Reſtiti; & inſolitæ, vt ſtupeo, conſortia Diuæ
Quæ ſit, quâ veniat parte, benigna refert.
Vade, age, compoſito viuit tranquillior æuo
ARMANDVS, *ſolitum cura remiſit opus.*
Quid Rheni vexilla ferant, viréſque; modíque
Imperij? hæc longas iuſſit abire vias.
Impiger vtque animus, magnos accinctus in vſus
Diuidet alternis otia temporibus.
Dicta dies Muſis, totúmque Helicona vocauit,
Siſte dabo facilem tùm, in tua vota Ducem.

Vt bene apud memorem veteris ſtet gratia ſcripti
Efficiam : ingeniis ſic aperitur iter.
O quàm , te memorem magni Dea nominis , & quæ
Omnia , ſi qua fides , vertis ad arbitrium.
Molem immenſam humeris , & vix tractabile pondus
Dux geſtat , ferri , conſiliúmque togæ.
Non alia ex aliis certatim in bella vocatur ;
Congreſſu Muſas liberiore colit.
Magna dabit facilem Ducis indulgentia vultum ;
Nec tibi quod geſſi nomen , vt obſtet , erit.
Surgentes inter curas ſis Diua Vialis :
Quicquid erit , iuris feceris eſſe tui.
Fortunam iuuat ars , ſed & ipſa potentius artem :
Mutua cui iungent fœdera , ſummus erit.

GERMANVS DE VAVCHELLES.

AD EMINENTISSIMVM CARDINALEM DVCEM DE RICHELIEV &c.

BREDA, *vbi præda fuit , Reges tres eſſe repreſſos*
Emeritæ , ſcripſit Spinula , militiæ.
Induperatorem , Regémque vt vidit Iberum ,
Caſallâ expulſos , limitibúſque ſuis ;
Arguimur Fatis, Dixit ; *fortuna regreſſa eſt :*
Morte Duo , atque armis ſuccubuere Duo.
Quæ fuit antè illi bellorum gloria , ceſſit
Victori , & tota eſt ſubdita RICHELIO.

Idem.

Ad Orationem Eminentiſſimi
CARDINALIS DVCIS.
CORAM INVICTISSIMO REGE,
Proceribúſque Regni, in Principe Senatu habitam nuper, & omnium admiratione exceptam.

NON *te Phœbe rogo Clarios recludere fontes,*
Nec laſſata voco toties mihi carmina Muſas:
Maius opus tento, & veſtris conatibus impar.
Ipſe veni, viréſque nouas, animúmque miniſtra,
Qui caneris fandique opibus ſublimis abundas.
DVX *celſe, & Francæ celeberrima gloria gentis.*
Quippe tholo maiore coli tua facta merentur,
Ut præmiſſa retro pateant, nunc luce ſequente
Vincuntur, ceſſiſſe nouis ſucceſſibus optant.
Cúmque datum Heſperias tibi ſit frænaſſe cohortes,
Et Rheni populos, tot Regnorúmque potentem
Victricem Italiam, atque orbis noua iura tremiſcat
Principis, æternum laudes in nomen ituras.
Belligeri maius tamen eſt ſacra lumina Iani
Legibus, edictíſque forum aſſeruiſſe benignis;
Et refugam ſeruaſſe ſuis cum robore vitam.
Jlla dies celebranda mihi, qua clarus & ingens
Eloquio, magnos animus ſe accinctus in vſus
Extulit, ingeniíque bonis, armíſque probandus.
Laudum aditus igitur dignos, mihi ſuffice, & ingens

Hoc opus in gyros des contraxiſſe minores.
Gallia, cui afflicto ſpirat reuerentia vultu
Viſa Duci, & paulum fletu cunctata modeſto
Orſa refert, DVX *Magne, immania vulnera cogor*
Integrare Tibi, veteréſque reducere queſtus.
Illa ego, quæ fauſtæ tribui primordia lucis,
Cuius & inſignes voſmet firmatis alumnos.
Et quondam genus eſſe, opibus deiecta laborem
Veni in ſupremum, diróſque miſerrima caſus,
Heu vbi ſyderei vultus! nuda oſſa pateſcunt,
Laxa fugam per membra tepens molitur & ipſe
Spiritus, abſumptæ vires, & copia fandi
Nulla mihi (nimio inuenit laxata dolore
Vox iter) ipſa manum medicam, fomentáque quæro
Vulneribus ſed ſumma meis, non improba poſco;
Non inſueta dabit Princeps, mulcere dolores,
Solus Achillæa crudos qui nouit ab arte:
Inſtauret priſcum per Te, DVX *Maxime, honorem*
Erigat & lapſos, inclinatóſque Penates.
Nec ſi veſtra dolor noſter præcordia tangit,
Nilque pij Regis iuuat exorabile nomen.
Te, per te, nec enim quicquam præſentius, oro.
Excepit DVX *rem ſummam, meritique doloris*
Diua referre, robur ſumas par luctibus iſtis,
Nunquam deſtiterit iuſto mea cura labori:
Aut aliquid fruſtra per me voluiſſe pigebit.
Immodicos fletus, longúmque exire dolorem.
Dux iuſſit, curas inter dum tempus agit rem
Regem iuit, ecquid enim conſultum fallere poſſit
Pectus, & excubias vigilantia lumina Regni!

Rex medio orantem miratur in orbe Senatus:
Difficiles cauſas, geſtarum ex ordine rerum,
Euentúſque refert varios, faſtóſque recenſet.
Vni quippe illi curarum aſperima ſuetus
Credere, partiríque vices, ingentibus idem
Sufficit officiis, veterúmque exempla ſecutus
Digerit imperij ſub Iudice facta Senatu:
Confuſa dubiâ quam res formidine quondam
Extiterint, tenebris quæ ſit lux addita Regni,
Quæue recens Gentes venerandum robur adorent
Principis, & maneant ſeros in ſæcla nepotes
Venturi fructus. mirum quàm ampliſſimus ordo
Dicentem ſtupuit; micuit prædulce loquendi
Pondus, & annexas ſermo qui duceret aures,
Tunc extincta tuæ reuocaſti gaudia gentis
Mitibus arbitriis, dum multa tributa retractans
Ditauiſſe inopes viſa eſt clementia Regis.
Vniuſque tui curâ omni in corpore ſumpſit
Imperium decus, haud tanto vſquam oracula Regis
Eloquio creuere tuo, nec dignius ante
Gallica ſe meminit Majeſtas eſſe locutam,
Tot teſtes procerum plauſus nihil eſſe relictum,
Quo virtus animo creſcat, vel ſplendor honore.
Exere nunc doctos tantæ in certamine laudis
Muſarum fœcunda choros, ô Gallia, claris
Ingeniis, & quanta tuis facundia pollet;
Perge ergo, atque antiqua nouis tua ſæcla vetuſtas
Confer, naturâ, quodcunque probatur, & arte
Vt medio lux ipſa die id nunc amplius exit:
Ore colant Latio, poſt tot benefacta Parentem.

Et grauiore Ducis celebrent encomia plectro.
Ductilibus neruis fortes ad iura Sicambros
Gallicus, vt perhibent, Alcides, traxit, amicâ
Et vi omnes rapuit pendentis ab ore catenæ.
Fabula ſeu verum canitur; Tu Gallicus ipſe
Alcides verè, inter ſe cæleſtibus aptos
Vinxiſti nodis Gallos, tutóque locaſti.
Suaue loquens, nobis atque omnia dulcia linquens,
Nec tamen eloquij virtus tibi ſola potentis;
ARMANDVM *egregiis etiam miramur in armis,*
Ipſe ſecundus Apex bellorum, atque altera caſſis,
Et tantum Ducibus, quantum Sol eminet Aſtris.
Quod cuncti gens vna ſumus, quod fœdere ſancto
Viuimus, à Rege hæc tibi proxima gloria conſtat:
Eloquio vel Marte parem nulla extulit ætas.
Ergo quæ reddat meritorum præmia, vel quas
Soluere ſufficiat dignas tibi Gallia grates!
Vernantes nectet lauros, populúſque parentem
Agnoſcet, patriæ ſeruatorémque Senatus.

GERMANVS DE VAVCHELLES.

EMINENTISSIMO ARMANDO CARDINALI DVCI DE RICHELIEV, THALASSIARCHO.

AVT fontes mihi Phœbe, aut iure petenti
Da veniam, vitreo ſi non Helyconis ab amne
Muſa bibit, primámque ſitim non explet in vnda
Bellerophontæi quam præpetis vngula fecit.
Maiores ſitit Auſpiciis melioribus vndas
RICHELIVM *dictura, Ducem cui ſæcula nullum*
Viderunt antiqua parem, cui Gallicus Atlas
(Quamquam indefeſſus) grauiorum pondera rerum
Alcidi velut aſtra ſuo moderanda relinquit;
Cui Francis minor in Pelago ne gloria ſurgat,
Quam terras quæ prima tenet, dat habere tridentem
Neptunus, geminóque vnum regnare profundo.
Quid mirum? ingenio cui non ſatis vnus, vtrumque
Si moderandum, orbis commiſerit Arbiter orbem;
Quid mirum? ſi dum Parnaſſo ſerta trophæis
Deficiunt ARMANDE *tuis, Aganippida totam,*
Et tua Apollineos virtus exhauſit honores;
Ecce tuo vati pandat ſe latius æquor
Eſt opus, & maiore Deo, quare ambare multo,
Quare algis aſperge meos Neptune capillos;
Et pelagi compeſce minas: iuuat ire per omnem
Oceanum, magnis confundere claſſibus vndas,

Et ponto rapuiſſe diem, nec Seſton Abydo.
Sit ratibus iunxiſſe ſatis, victricibus armis,
Quáque patet tellus, & vtrumque extenditur æquor,
Ire animus, rediiſſe, tuis dum viceris orbem
Conſiliis, ARMANDE, *tuis*, LODOICE, *triumphis.*
Vrbs eſt Santonicis olim fundata colonis,
Qua patet occiduum Gallis mare, fidus in illa
Portus, & appulſis ſtatio bene tuta carinis,
Rupellam indigetant, vicina Britannia contra
Albaníque ſinus, fertur magis omnibus, armis
Hæreſis hanc firmaſſe ſuis, hîc illius artes,
Hîc valuere doli, hîc veſana rebellio, fræni
Impatiens, impunè ſui ceruice ſuperbâ
Principis excuſſas indignabatur habenas;
Hanc vnum tutumque ſuæ fore gentis Aſylum
Sperabat, tamen educi de ſanguine Regem
Borbonio audierat, tantas qui perderet arces,
Victorem hinc latè terrâ pelagóque, ſuperbum
Hæreſeos ſpoliis hydræ, ſpoliiſque leonum,
Geryone edomito, iuſtis terroribus angue
Cum partu trepidante ſuo, geminóque querenti
Bubone, exutas pennis melioribus alas;
Queis Gallus ſublime tenens, aut tranſeat alpes,
Aut aquilam petat, aut cœli ſuper ardua victor,
Conterat Hottomanæ coeuntia cornua Lunæ;
Id metuens, bellíque memor, quo nuper ouarat
Victor Aquitanis rediens LODOICVS *ab oris,*
Ferales iterum flammis ciuilibus iras
Parturiens, tales effutiit ore loquelas.
Ergo tot in caſſum patiar fluxiſſe labores?

Nec

Nec potero Imperio Francorum expellere Regem,
Ergo potens Anglus, trux Saxo, Belga, Suecus,
Omnis & ipſa meum Germania numen adorat,
Gallorum tamen ecce vno cum Rege tot annos
Bella gero, vnius nec poſſum euadere dextram.
Stat caſus tentare omnes, fatíque ſiniſtri
Extremas vrgere vices; ſic fata repente
Anglorum in terras, loca fœta furentibus armis,
Albionem venit, hîc ſolio Rex Carlus ab alto,
Inde Caledoniis dat iura, dat inde Britannis.
Cui, molles benè nacta aditus, his vocibus vſa eſt.
Carle, quod optante Superûm promittere nullus
Audeat, hoc fortuna fauens tibi protulit vltro,
Illa tuis iterum Sceptris adiungere gentem
Ecce parat, quam Santonicos Rupella per agros
Diues alit, quæ Francorum diffuſa per orbem
Te Regem cupit, & veteres meditatur amores.
Æger in extremo LODOICVS *membra cubili*
Languet, & ex illo iacet omnis Gallia morbo;
Quid dubitas nunc tempus equos nunc poſcere bella,
Rumpe moras omnes, præſentibus vtere fatis.
Finierat, dictíſque volens tum Carlus & vltro
Annuit, & tacitas Londini è littore claſſes
Soluit, vt Armoricis indicant prælia terris.
Non procul à terra, Oceani ſupereminet vndis
Inſula, quæ refluos obliquo littore fluctus
Rumpit, & aduerſo luctantes marmore ventos,
(Santonici dixere Ream) Thoraſius Heros.
Ille potens, bello quo non generoſior alter.
Inuictam glomerare manum, aut commiſſa tueri

Mœnia, & hoſtiles cunctando frangere turmas,
Hic Regis iuſſu, muris ingentibus arcem
Fundabat, veteres Regni tutamen in hoſtes,
Venerat, at tantis nondum manus vltima cœptis.
Iámque Britanna phalanx periuris nauibus æquor
Sulcabat, fictæ ſub amico ſydere pacis
Littora noſtra petens, facibus cùm è puppe leuatis,
Tormentíſque procul multo reboantibus ære,
Dat belli ſignum, Reacóque in littore claſſem
Appellit, longáque locum ſtatione coronat.
Securos impunè diu Thoraſius hoſtes
Non tulit, ô quoties fuſi ſenſere Britanni,
Quantus in arma ruat, denos non Troia per annos,
Non vidit tot geſta tribus Numantia luſtris.
Proh dolor! interea maioris cauſa pericli,
Febris in infirmo LODOICI *corpora lecto*
Detinet, inuidiæ ſtimulis furialibus ardens
Parca, quod ille atro plures ſeruaſſet ab orco,
Et plures ſeruare velit, dum pollice ſacro
Noxia ab infectis pellit contagia membris:
Iam dudum nec ſponte ferens, vacua atria ditis,
Exhauſtaſque charontis opes, vnum omnia contra
Tela ciet, cædémque orbis molitur in illo.
Exue parca metus, & fila perennia noſtro
Necte Duci, mox vnius quot mille rependent
Fata necem. ô quantos & quot ſub Auerna Britannos
Mittet, laſſabit rumpentes ſtamina dextras,
Gallia pone metus, parcæ nil iuris in illum,
Cui vitam donare licet, Rex ecce reſurgit
Fortior è thalamo, longos victurus in annos

Tecum, & victurus tibi quos fore ſenſerit hoſtes.
Quando Gigantea nimium temeraria turbæ
Bella tulere Diis, non inconſultus in hoſtes
Jupiter, vltrices vibrauit ab æthere flammas,
Conſuluit Superos. Rex Diuûm exempla ſecutus,
Sit quamquam ſatis ipſe ſibi, Regníque ferendo
Par oneri, dum bella truces molitur in Anglos,
Santonicæque parat cinerare cacumina rupis,
Elegit cuius fidei committere poſſet
Conſilij molem, ſacríque arcana ſenatus;
Te voluit comitem grauiorum, ARMANDE, *laborum,*
Réſque omnes velut alterno te cardine volui.
Nec melius poſitis feſſus reſpiret ab aſtris
Atlas, & Herculeo capiti committat Olympum.
Gratuler hoc nobis, Franci, quod tota laboret
Gallorum natura bono, quod diuite partu
RICHELLIVM *dederit noſtro qui viuat in æuo,*
Et quod communi, LODOICE, *reciproca voto*
Ingenij vis mira tui, de millibus vnum
ARMANDVM, *optarit* LODOICO *vt ſeruiat vni.*
Conſilium fœlix, diuinæ prouida mentis
Omina, ſucceſſu non eludenda futuro.
Seruet Iber, comitem, fecit qui nomen Oliua-
-Res ſignum pacis, ſperamus nominis illum
Immemorem, placidâ cum pace quieſcere nolet
Immemorémque ſui belli tentare furores
Ignauus volet, Hiſpanas diſcrimen in imum
Res adducturum, Spinolam conducat, & ille
Sentit intactas tandem marceſcere lauros,
Gallica dum Latiis reuireſcent Lilia terris.

Auſtriacus Tylium, Lotharingi, Cæſar ab aula
Educat, qui cæde ferox, ſpoliíſque ſuperbus,
Vltima Vandaliæ confinia terreat armis,
Pluribus ille vno partas certamine palmas,
Et vitam amittet; reddat quæ nuper ademit
Arma Valeſtiniæ, hunc quamquam illi tarda podagræ
Genua labent, tamen vt propriæ fugiendo ſaluti
Conſulat, effuſis videbimus ire maniplis,
Et præbere, licet morienti terga Sueco.
Tu tibi, Carle, Ducem, Galli cui nomen ab hirco
Deriuant, veniat longo comitatus ouili,
Francicáque ignauos deducat in arua leones
Dux gregis ipſe caper, Gallo veniente, leones
Inde iubam, caudam inde prement, caper ipſe, receptui
Dum Gallus canet arma, canet, maleſana negabit
Conſilia, & tandem ſaluâ vix pelle, retuſis
Cornibus, effugiet patrias mactandus ad aras.
His vos eſte Duces, præponderat omnibus vnus
RICHELIVS, *ſatis eſt* LODOICE *hic vnus in omnes*
Quare age, rumpe moras, nam te quocunque ſequetur
Fida comes, celeres agitans victoria pennas
ARMANDO *præeunte vias; vnum omnia contra*
Hunc oppone, cadent inimicorum irrita tela.
Vt leo, quem matris latebroſa diutius antra
Ignauum tenuere, ſibi cùm creſcere ſentit
Dura pares in bella thoros, & robur in armis,
Imbelles epulas, & getulæ vbera matris
Exoſus, comitare patrem, cauliſque minari
Ardet, & abrepti tergum diſcerpere tauri.
Sic dudum indignans triſtis Rex tædia lecti

Arma calens, impunè diu ſæuire Britannos
Impatiens, lecta procerum ſtipante coronâ
Venit in Eſtræum tandem deſcendere campum,
Quâ portas Rupella furens Regalibus armis
Clauſerat, obſidÿ extremos paſſura dolores
Aggeribus confiſa ſuis molimina nec tot
Tantáque centimani quondam ſtruxere Gigantes,
Dum Cœlis inferre metum, ſolióque pararent
Supremo exturbare Iouem : minitantia nimbis
Tot iuga, tot montes, tot propugnacula ſurgunt,
Tot prôſtant tormenta, & hianti gutture, ſtragem
E muris factura procul, ſi forte latentes
Eructent diſploſa globos. Circum ordine longo
Metatus ſua caſtra, ſolo qua iungitur, vrbem
Cinxit, & eductis vallauit mœnia foſſis,
Sed ſupereſt quà parte ſali defenditur vndâ
Maius opus, dare fræna mari, pontíque ſonantes
Edomuiſſe minas, fœcundum hic concute pectus,
Et vigiles ARMANDE *animos, labor iſte meretur*
Numen, & aſſuetam dudum in miracula dextram;
Quare age, & Oceano ſi te regnare profundô
Regia iuſſa volunt, tanto ſciat orbis vterque
Te dignum imperio, nec inanem Regis honorem,
Ipſéque Neptunus pelagi ſciat eſſe tridentem
Sorte ſibi, tibi iure datum, ſtupefacta triumphet
Prodigio Natura nouo, nec Græcia iactet
Europæ atque Aſiæ, gemini commercia mundi
Ponte nouo feciſſe rates, calcatáque Perſis
Helles dorſa ſinus, formidatámque Philippi
Progeniem Tyrio bis clauſtra dediſſe canali.

Audeat ARMANDVS *maiora , rebellibus vndis*
Imponat , quas quando volet laxabit habenas;
Mutabunt Elementa vices , famulabitur æquor ,
Et coniurati ſpirabunt blandius auſtri.
Ipſáque ſi quid habet triſtis , quid & vnda furoris
Ad nutus famulata tuos , conuertet in hoſtes.
Dediſcet natura ſuas , verſo ordine , leges
ARMANDVS *dum ponet aquis. ab Apolline nati*
Non opus hic plectro , non qua teſtudine iuſſit
Et ſyluas & ſaxa ſequi Dircæus & altos
Thebarum in muros , Tyrios concurrere montes.
Par operi tanto tua tantum dextera , nulli
Neptunus ceſſit , tibi cedet , ab æquore noſtro
Exul , longinquas ibit peregrinus in oras.
Velle tibi ſatis eſt , nutum vocémque ſequentur
Fata , iube , ſubitóque procul famulata recedent
Æquora , quáſque paras , fugiet Neptunus habenas.
Annuis ; & meritos non dedignatus honores
Tanto operi dextram imponis , decreſcere montes
Jam video , totóque mari fluitare ſuperbas
Exuuias ſyluarum , atque immani pondere ſaxa.
Iam mari ab Ægæo iurem huc adnaſſe reuulſas
Cycladas , Oceanóque nouas aſſurgere Syrtes ,
Aut Delum , non quæ portus & littora circum
Errabat , ſed quam Mycone , Giaróque ligauit
Phœbus , & iratos voluit contemnere ventos.
Tanta mole mari pila eminet , eminus hoſtis
Horret adire locum , tacitóſque incurrere proras
In ſcopulos. Nec vana timet , non feruida ponti
Euxini melius Symplegades oſtia claudunt , .

Non Syrtes, non Scylla vorax, non vaſta Charybdis,
Non breuia, appulſis tantùm metuenda carinis,
Vnde tamen tanti facto velut agmine fluctus,
Vnde tot aduersâ miſcent certamina fronte
Hinc Nothus in Boream, Boreas luctatus in Auſtrum;
Ah video, pelago ſenſit Neptunus ab alto
Tantæ molis opus, queritúrque quis alter ab illo
Inde ſolum, inde ſalum inſolito miſcere tumultu
Auſit, & ingentes attollat in æquore moles,
Iratus fremit, & vanos haurire labores
Aggreditur, pilámque ſalo exæquare profundo
Aſpice vt inſani glomerent certamina fluctus,
Vt coniuratæ veniant in bella procellæ,
Tempeſtas immane tonet, quas Nereus iras,
Quas tumido gerat ore minas, quonam irruat æſtu
In pilam, qua fronte petat; bene tuta furores
Illa tamen tantos contra, deridet inanes
Vndarúmque minas, atque irrita flamina ventos.
Sat furiis Neptune, datum, compeſce tumentes
Irati bullas animi, Deus imperat vndis.
Te maior, trifidos vltro cui cederet ignes
Iuppiter, huic, ſic ipſe iubet, iam cede tridentem,
Nec certaſſe velis, niſi de certamine, ſperes
Hoc pretium, duce cum tanto meruiſſe meteri.
At velut hyberno grauidatus vortice torrens
Saxa rotat, rapidoque altos trahit impete pontes,
Præcipitantis aquas ſi rupes firma retundat,
Frangitur obiectu ſcopuli quærénſque meatum
Spumat & illiſis tumidus circum fremit vndis.
Sic cui Neptunus compeſci neſcius olim

Frangere bis potuit Macedo quæ vincla parauit,
Quæ Cæſar, potuit Xerxis punire furores,
Et montes quaſſare, Ioui ipſi, ſæpe minari,
Se ſe extincturum medio ſua fulmina ponto.
Iam veritus decreta pati tua vincla, recedit
Nec ceſſiſſe iuuat, tamen hoc feciſſe neceſſe eſt,
Inſultat rediens, refugit, fugiénſque minatur;
Ecce tamen placido tandem manſueſcere fluctu
Edoctus, tacito pilam procul infremit æſtu,
Nec ſibi propoſitas audet tranſcurrere metas.
Cur non Herculeos ſileat iam fama labores,
Telluri dedit hic metas, maiore triumpho
Neptuno dedit ARMANDVS, *ventura perennem*
Poſteritas admitte fidem, potuiſſe ſecundo
RICHELIVM *dare iura Deo.*

MAXIME DVX, *oculis totum quibus allicis orbem,*
Et maiora vides, teneræ primordia Muſæ
Si videas, mox liligero tua fortior æſtro
Facta ſequar, nec vela traham, ſacra donec in vndis
Lilia floreſcant, Gallo noua ſydera nautæ;
Donec purpureum ſublimi in puppe Galerum
Diuino ſplendore micans, & cornua Lunæ,
Et puluinatas petaſi confuderit alas;
Donec & in toto tua victrix æquore claſſis,
Auſpice te, totum LODOICO *Rege per orbem,*
Portet adorandos Chriſti ſub nomine flores.

ANTONIVS TORTEL.

QVE-

QVERELA
APOLLINIS ROMANI
De Eminentiſſimo
CARDINALI RICHELÆO,
Quòd Poetas Gallicos præferat Romanis.

EMINENTISSIMO
CARDINALI RICHELÆO
MORISOTVS S.

VENISSET ad te ipſe qui loquitur Apollo: ſed dudum ſedentarius eſt, & ſenex, & legibus Fatorum aſtrictus Palatino Mõti. Quod potuit, ſcripſit, mandauítque mihi, vt deferrem ad te querelam, quam, ſuo ſtilo, hoc eſt verſu, compoſuit. Si non legeris, pudebit damnare: ſi legeris, iuſtam inuenies. Pollicetur ſe Poëtam tibi, ſimul ac iuſſeris. Noli recuſare obſequium vltro ſe offerentis Dei. Primus es mortalium ad quem carmen miſit, quem laudauit, & cui integram lauream parat de manu ſuâ. Quidquid meruiſti vulgabit per totum Orbem, & depictam æternis coloribus imaginem tuam tradet poſteritati. Vadibus non indigent Dij, crede promittenti. Vale.

APOLLO LOQVITVR.

ROMA nec Ancili, nec Pallade tuta remanſit,
Veſtaliue foco, non legibus illa, nec armis,
Sed cantu ſeruata meo, ſeruata meorum
Ingeniis; noſtro creuit de Numine Roma,
Et nunc æternum conſeruat carmine nomen.
Ante ſuburbanis vixdum benè nota Sabinis,
Et Volſcis, cùm me, Parnaſſi colle relicto,
Lata Palatino properantem monte recepit,
Atque aliâ potauit aquâ, tum Græcia quondam
Victrix, victa fuit, tum Græcus ſermo Latino
Ceſſit, & oblitæ natalia verba Camœnæ
Heſperium cecinêre melos, Circóque retentæ
Flaminij, ſocias habitarunt Herculis ædes:
Nec vico contentæ vno, diffuſa per Orbem
Turba mea eſt: quacunque ſuum Romana poteſtas
Protulit imperium, Populóſque ad fræna vocauit.
Obſtabant Aquilis Gangéſque, atque Indus, & Obi
Et gelidi deſerta Poli, deſerta nigrantis
Æthiopis, Cœlúmque humeris qui ſuſtinet Atlas.
Non vltra viſi faſces, viſæue ſecures,
Et fecêre tamen faſces, fecêre ſecures
Eloquio ſuadente, metum. Quod pila, nec enſis
Nec potuêre minæ, molli de flumine verſus
Excurrens potuit! victas primùm occupat aures
Auſonius ſermo, mox lato vulnere corda
Tranſadigit: placuit victis victricia verba.

Sponte loqui, & patrias, in totum perdere voces.
Sic quas non valuit Romana potentia Gentes
Subdere, ſubdidimus, finémque hunc fecimus Vrbi
Quem mundo: Cœlum noſtras quoque venit in artes,
Romaníſque Dij numeris reſponſa dedêre,
Et ſacri Vates, &, Diuûm cura, Sibylla.
At poſtquam proprio lætata eſt Roma cruore,
Succubuítque ſuis, & quas ſubtraxerat Orbi
Reſtituit palmas, ſiccatáque Regia laurus
In pullas abiit frondes mutatâ cupreſſu.
Tum noua quæque ſibi fabricata vocabula Gens eſt,
Barbaricis gaudens rithmis, cantúque, choríſque:
Tum riſus fuit in lacerâ ſpectare lacernâ
Saltantes Muſas, ſimilique in veſte Poëtas
Neſcio quod raucum tentare, aut ſcribere carmen,
Quod caneret trucibus commixta puella puellis.
Ac veluti febris latitanti excuſſa veterno
Primùm corde micat, tandem diffuſa per omnes
Corporis humani partes, quatit impia bello
Membra, ſonant cunctis vulſi compagibus artus,
Turbatúſque metu pallet pater, aut noua coniux.
Sic Hunnis attrita armis, attrita Gothtunnis
Roma, prior laurus, animóſque coacta viriles
Depoſuit, ſufferre iugum, & noua vincula collo
Non ſatis, ingenium longâ quoque compede vinctum:
Nec puduit Geticos Getico ſermone triumphos
Romanum cantare virum, cantare nepotes.
Gentibus hinc aliis patefacta licentia verſus
Barbarici, Syrio Syrus eſt tunc ore loquutus,
Et Pharius Phariis numeríſque, modiſque furorem

Clauſit, Arabs Arabum, Parthúſque, atque Afer, & ipſa
Gallia, de noſtris ſpoliis ditata refulſit,
Vocibus immiſcens Romana vocabula Graiis,
Inſolitó lætata ſono, & noua nomina quærens,
Vtilium inuentrix rerum, aut facunda ſequutrix.
Grata fuit nouitas, ſociíſque Poëmatis arte
Aucta, coloratis auſa eſt ſibi plaudere fucis.
Hic canit audaci carmen ferale cothurno,
Vel fingit Satyras hominum corrector, & acer
Deſpuit in mores, Elegis ſuſpiria laxat
Alter, & ardentes depromit pectore curas,
Aut paſtoritias diſponit in ordine cellas
Ruſticus, & viridi veſtit ſua pulpita iunco.
Pulſat humum ſoccis alius, viléſque tabernas
Intrat, & arbitrio ſerui coniungit amantes.
Ille alto gaudet plectro, ſeu prælia Regum,
Siue Deûm laudes, & noſtri militis auſus
Concinat, aut Lyrico gratiſſima furta puellæ
Vulget, odoratâ præcingens tempora myrto.
Concrepat auditor palmas, longóque ſuſurro
Plebs fauet, & vultu cernens aulæa ſilenti
Oblitus dominæ iuuenis, ſequitúrque, fouétque
Dicentem, motúſque omnes obſeruat, & ambit
Virgo, puer, meretrix, mœchus, matrona, maritus,
Inueniunt quod quiſque velit, Scenæque decori
Addunt æra, togas, gemmas, patrimonia, gazas,
Verborum emptores, & certo Gallica numo
Carmina penſantes ſubitò moritura, nec annum
Seruatura ſuum: veſtes vt Gallia mutat,
Sic quoque verba nouans, vſum, normámque loquendi

Antiquam perdit, quam poſthuma deſtruet ætas.
Adde quod inſanum eſt, & inutile dicere geſta
Auditor quorum teſtis fuit, auctáque ridet
Cantantis ſtudio magnæ ad præconia famæ.
Præterea prohibent Alpes, gelidæque Pyrenes
Culmina, & Oceano vetitus ſuccreſcere Moſa,
Francorum voces audiri, & verba placere.
At neque fluminei laticis, liquidíue profundi,
Nec ſuccreſcentis patitur luctamina ſaxi
Romanum carmen, penetrat quodcunque ſub auras
Erigitur, quodcunque atris includitur auris:
Nec penetraſſe ſatis, viget, æternúmque vigebit
Auditum cunctis, tantus cultúſque, nitórque,
Tantus honos, tanta eſt Romanæ gratia linguæ.
Proh pudor! & tamen ô Proceres, dextræque potentes,
Quas ſua ſceptra decent! túque ô RICHELÆE, *decori*
Qui Latio magnum decus addis, & inſuper actis
Innumeris creſcens Pelleos ſupprimis auſus!
Non modò complexu Gallos, tua turba, Poëtas,
Proſequeris, iungis laudes, & laudibus aurum:
Nec iam pro lauru certant, ſterilíue coronâ,
Sed ſpoliis Fortunæ tuis inſigne ſuperbi
Attollunt caput, & longâ veſtigia pallâ,
Aut latus enſe onerant, Tyrióque in murice fulgent.
Dum mea poſteritas humili damnata tigillo
Eſurit, atque nouæ patitur ludibria turbæ:
Dum centone tegit corpus, Tichióque Poëta
It comes, aut ſeruus facit id quodcunque iubetur,
Vel ſibi commiſſo bona carmina cantat ouili:
Sola quibus latitans ſyluis reſpondeat Echo,

Omnes docta ſonos, & verbis reddere verba:
Et, niſi marmoreis premeretur Nympha cathenis,
Auſonios verſus Latias portaret in oras,
Et Romæ vulgaret opus, quod fronte benignâ
Exciperet Pater VRBANVS, *cui viuida vena*
In ſtimulos agitata meos magno impete currit,
Et vatum, & Mundi Princeps; tum ſedulus, vltrò
Porrigeret doctas aures, ſpatiúmque loquendi
Spontè daret, cùm fraternam Dea læta ſalutem,
Et laudes RICHELÆE *tuas conclauibus altis*
Inferret, factúmque Orbi ad miracula nomen.
Sed Dea ſepoſitis dudum concluſa cauernis
Proxima quæque quatit, replicatáque vocis imago
Per vacuos colles, vicináque prata vagatur:
Non vltra differre datum eſt, quod triſtis amator,
Aut paſtor rupi dixit, lucóque propinquo.
Quod ſi Romanos admitteret Aula Poëtas
Gallica, & exiguis carmen mercedibus emptum
Theſauróſque ſuos, & magni prodiga partus
Promeret ingenia, æternos factura triumphos;
Raptus ab Iliacis durares France ruinis,
Viueret & ſparſo per collum crine Sicamber,
Vnde genus Pharamunde tuum, cui cornua Rhenus
Summiſit, famulámque atauis bene præbuit vndam.
Diſceret & toties victus cum Saxone Sueuus
Tandem vincla pati, & noſtris ſeruire lupatis.
Germanus, Flandrus, Friſius, Bructerus, Iberus,
Appulus & Siculus, Sardus, Thrax, Cyprius, Afer,
Cúmque Syro Pharius, quibus olim LILIA *cordi,*
Nunc quoque & illa forent, dociliſque ad fræna recepta,

Totus ab auditis Mundus penderet habenis.
Adderet & populis LODOICI *nominis umbra*
Terrores veros, & adhuc in imagine famæ
Noſſe Deum cuperent, quem nunc ceruice vacante
Exoptant, oculóſque pio ſatiare miniſtro.
Non ſatis hoc, quod te Lethæis omnibus olim
Eripui RICHELÆE, *atque oculos iam morte cadentes*
Erexi, & duplici duplices medicamine peſtes
Extinxi, ſuccis minitantem funera morbum,
Et coniuratos retudi mucronibus enſes!
Nectite nunc auro candentia fila Sorores,
Nectite! & æterno verſate in turbine fuſum!
Non ſatis hoc, quod, longæuo mirante Senatu,
Turba frequens RICHELÆE *tuo dependula ab ore*
Obſtupuit, ſubitâ veluti turbata procellâ?
Quod puerum noſtras docui fœliciter artes!
Quódque Iouis Martíſque tibi famulantia iunxi
Sydera, & emeritum torquentem lumine fulmen
Cyprida, cúmque ſuo plaudentem Atlantida plectro.
Hem! maiora paro. Laſſâ victoria pennâ
Vix benè perdomitas vltrà ſe protulit Alpes,
Vix Gallus miles galeis victricibus hauſit
Eridani fluctus, ac Rheni fluminis vndas,
Et tamen extremos current tua geſta per Indos
Romuleâ cantata lyrâ; ne quære Poetam,
Ipſe canam! quis enim melior deſcribere verſu
Quàm Deus, acta Dei! quàm Vates, Vatis honores!
Facundum facunda decent, nec dextera inermis
Eſt mea, ſed ſimiles meruit quandoque triumphos,
Atque tuis dignam laurum quandoque capillis.

Perdidimus certâ cæſum Pythonâ ſagittâ,
Titanáſque feros, & totum monſtra per Orbem.
Vicimus Auguſto! noſtris Antonius armis
Ceſſit, in Actiaco laceratâ claſſe profundo.
Tu quoque nauali deiectos Marte Britannos
Fregiſti, rubuit perfuſus ſanguine Pontus,
Et Rhea cæſorum gemuit ſub pondere tellus:
Quæque obſeſſa diu ſtabilis Rupella remanſit,
Extrema commiſſa mari, totiéſque rebellis,
Tandem victa fuit: dum ſigna manúſque Britannas
Quas videt, expectat, ieiunáque viſcera votis
Nutrit, & aſſimilis ſpectro terrore tuetur
Mœnia, & ingratos obſeruat lurida portus,
Atque inconcuſſis frænatum molibus æquor:
Ipſa ſuis neglecta Deis, æquatáque terræ
Nunc iacet, ah miſero nondum tumulata ſepulchro!
At parte ex aliâ fractis SABAVDVS *in armis,*
Inualidus, pauitans, ipſóque citatior Euro,
Vrſorum per luſtra fugit: dum pendulus hæret
Alpibus in ſummis Gallus, glaciémque, niuéſque
Conterit, & domito iaculatur in æthere fulmen.
Tum noua plumbato quaſſauit verbere terras
Grando, volant nitrei per torrida nubila fumi,
Fit fragor & ſonitus, denſóque cadentia nimbo
Certa per innumeras graſſantur tela ruinas.
Iratos ſenſêre Deos, hoſtíſque, Suſæque,
Concuſſæque labant aliæ cum mœnibus vrbes.
Inde ferox veſter miles per inhoſpita rura,
Subiectum populatur iter, tumidíque minaces
Eridani penetrat ripas, & Iberica caſtra

Caſalis

Caſalis ante oculos victor ſine ſanguine pellit.
Hinc data libertas Latio, RICHELÆE, *fatetur*
Hanc debere tibi ſummoto Mantua bello;
Mantua, quam toties fallax decepit Jberus,
Reddidit & toties captas inglorius arces:
Non aliàs vnquam ſolo terrore fugatus.
Ipſa caput Mundi, mea Roma, calentibus aris,
Auſpiciis deuota tuis, pro Numine tanto
Supplicat, & feſtos viuo tibi donat honores.
Hoſtilíque iugo dubitans ſummittere colla
Liber in Adriacis Venetus ſubſultat arenis:
Dum tradit ructans nutanti pocula Rhœto
Vindelicus, veſtríſque fauet conuiua triumphis.
Hæc inter LOTHARINGVS *iners, & fallere ſuetus*
Amiſſam deflet patriam, thalamóſque, laréſque
Linquit, & ad ſurdas veniam nunc poſtulat aures,
Exul, inops, & cauſa ſuæ (miſerabile) cladis.
Qui ſi traiecto cecidiſſet pectore primus
Confertas contra turmas, multa agmina contra,
Viueret Heroas inter venerabilis vmbras.
Tantum facta valent, virtúſque in ſæcula viuax.
Non ſic inualidis latuit GVSTAVVS *in armis,*
Ipſe manu metuendus erat, bella, aſpera bella
Vndique tractabat, tanti Ducis impetus, ipſos
Vincebat ventos, gelidóque excitus ab axe
Auſtriacas lacerauit opes, ſeque omnibus vnum
Obiecit, donec mille inter vulnera victor
Occubuit, moriens fugientem obuerſus in hoſtem.
Vincere ſic decuit, ſimilíque occumbere letho
Pugnantem famæ, ſociíſque, ſuíſque ferentem

Auxilium, & ſæuos mulctantem morte Tyrannos!
Vincere ſic decuit, ſimilíque occumbere letho
Francorum auſpiciis bellantem, atque ære merentem!
Nunc quoque defuncti cineres, & inane cadauer
Militat, & ſolo Genio conterritat hoſtes.
Elyſiis felix etiam bellator in aruis
Exorat Parcas, vt quos ſibi Fata malignè
Inuidêre dies, & quos rapuêre triumphos,
Multiplicent, addántque tibi RICHELÆE, *Polúmque*
Serus poſſideas, hominum contentus habenis,
Terrarum, pelagíque potens, & ſidere læto
Æternùm ſerues, quam fecit Romulus, vrbem.

MORISOTVS.

AD EVNDEM CARDINALEM DVCEM HENDECASYLLABI.

FRVSTRA *blanditiæ, iocíque molles,*
Et nudo pede Gratiæ calentes,
Et gaudens animos mouere Pytho,
Muſarúmque comes ſagax Apollo,
Fruſtra dicitis, hic, & hic Poëta,
Dignum RICHELIO *Poëma ſcripſit,*
Docto carmine, profluente venâ,
Quæ ſeros procul hinc eat per annos.
Non ſi de tumulis ſuis Catullus,
Gallus, Naſo, Maro, Propertiúſque.

Exirent, calamóque pertinaci
Tentarent celebri referre verſu
Laudes RICHELII; *nec hic, nec ille,*
Nec iunctis ſimul ingeni feracis
Vates viribus integrum referrent:
Docti ſint licet, & laborioſi.
Langueſcit ſtudium, perítque feruor,
Et quò ſe magis impetus laceſſit,
Tantò ſe minus inuenit, ſepultus,
Grandis materiæ graui ruinâ,
Iam nudis volucres iacent in alis,
Et pennas queritur ſibi reuulſas
Anſer garrulus, ac anas miſella:
Iam ſolis pedibus volant olores:
Hoc fecêre nefas, nefas Poëtæ,
Qui dum RICHELIO *Poëma ſcribunt,*
Docto carmine, profluente venâ,
Fraudauêre ſuo alites volatu,
Euulſis calamis manu rapaci,
Conſumptis calamis edace ferro,
Detritis calamis frequente verſu,
Sic vt plurima plurimis recludant,
Dum dictata notant leui in papyro.
Gaudete ingenuûm genus volucrum,
Iam vobis licitum eſt volare pennâ,
Iam totis licet excubare plumis!
Lex iſta innumeris data eſt Poëtis,
Ne vobis iterum nocere poſſint!
Neu quis Virgilio minor Poëta,
Laudes RICHELII *recantet vſquam,*

Et centum foliis libidinoſam
Mentis prodere cogitationem.
Ingens denique cui placet volumen,
Et quæ pagina paginæ tenetur,
Illi iam licet hinc, & inde ſcribat,
Non vult RICHELIVS *caduca ſcribi,*
Dignas ſe reperit, nouáſque chartas,
Et dignos calamos, nouáſque pennas,
Cœlum, malleolum, ſtilúmque fortem,
Bis feruente vado, focóque tinctum,
Mauri marmora, punicáſque cruſtas,
Et ſi quæ melius, perenniúſque
Venis nobilibus metalla durant.
Sed nondum meritis ſuis Poëtam
Æqualem reperit, licet, ſupérque
Sint docti ſimul, & laborioſi.
Quidquid ſcripſerit hic, vel ille verſu,
Infra RICHELIVM *Poëta ſcribet;*
Vnus RICHELIVM *Poëta ſcribet,*
Si ſe RICHELIVS *velit Poëtam.*

Idem.

DE CAZALI RECEPTO, AD EMINENTISSIMVM CARDINALEM DVCEM.

DVXERAT *ingentes longo molimine foſſas*
Perfidus, & terræ fidere ſuetus Iber.
Et denſas Italo ſtipauerat agmine turres,
Caſtráque Teutonico iunxerat antè duci.
Tota quid exiguis Europa includitur agris?
Teláque quos hoſtes tam numeroſa timent.
Gallus adeſt, gentíſque ſuæ, Regíſque, Ducúmque
Plenus, in aduerſi militis ora ruit.
Non celſæ tenuere Alpes, vicináque tellus,
Allobrogum ſolitis vix caritura dolis.
Difficiléſque viæ, nimbíque, luéſque, faméſque,
Et vagus vndoſo qui Padus amne furit.
Ceſſit Iber, quamuis & vallo & milite clauſus
Conſultæque dedit terga pudenda fugæ.
Fata metúſque vrgent, ſi mens non læua fuiſſet
Vinceret Hiſpano libera Roma iugo.
Perge inſtare Deo, partíſque ARMANDE *triumphis*
Debetur titulis laurea tanta tuis.
At vos Heſperiæ ſaltem hoc cognoſcite gentes,
Aggeribus virtus fortior eſſe ſolet.

GOMIN.

PETRI MARBEI,

NOMINE ACADEMIÆ ROTHOMAGENSIS

AD LVTETIAM,

De diuiſione murorum vrbis ad ædificandu[m] RICHELII Palatium.

EPIGRAMMA.

ECce triumphales redeunt ad limina greſſus,
Quin alacres properas pandere lenta fores:
Si minus apta tuis portarum anguſtia Pompis
RICHELIO muros diuide læta tuos,
Excepit ſic Roma duces, diuiſáque quondam
Mænia victorum ſic meruêre vias:
At cùm RICHELIO & turres, & mœnia cedant,
Quæ via victori dulcior eſſe poteſt?
Iam muri patuêre tui, ſitque area tanta,
Vt via non ſolùm, ſed queat eſſe domus,
Cernis vt incœptæ ſurgant faſtigia molis,
Et Flora hortorum polliceatur opes.
Quæ cœnoſa fuit, nunc florea tota virebit,
Et veneranda tibi, quæ modò vilis humus,
Ferrea quæ fuerant, ſic aurea ſecula fient
Dum vim RICHELIO regia iuſſa dabunt.

Vrbis Rex illi: dabit orbis mœnia Regi,
Nempe orbis claues mens generoſa gerit.
Ingredere in meritas tandem Dux inclite ſedes,
Hæc debet fidei Rex monumenta tuæ.
Vtque aditus pateant ſe muri, & corda recludunt,
Nec claudet liuor quod reſerauit amor.

P. CORNELII ROTHOMAGENSIS,

AD ILLVSTRISSIMI

FRANCISCI ARCHIEPISCOPI

NORMANIÆ PRIMATIS INVITATIONEM,

QVA GLORIOSISSIMVM REGEM, Eminentiſſimúmque CARDINALEM-DVCEM verſibus celebrare iuſſus eſt,

EXCVSATIO.

NEVSTRIACÆ *lux alma plagæ, quo noſtra ſuperbit*
Inſula, & Aonij laurus opaca iugi,
Heroum ad laudes, dignóſque Marone triumphos
Parce, precor, tenuem ſollicitare chelyn;

Non

Non ingrata canit, ſed & impar fortibus auſis,
Quæ canat, exiguis viribus apta legit.
Ad Scenam teneros deducere gaudet amores,
Et vetus inſuetis Drama nouare iocis,
Regnat in vndanti non triſtis Muſa theatro,
Atque hilarem populum tædia noſſe vetat,
Hanc doctique, rudéſque, hanc mollis & aulicus, & iam
Exeſo mitis Zoïlus vngue ſtupet.
Nil tamen hic fortes opus altè intendere neruos,
Noſtráque nil duri Scena laboris eget;
Vulgare eloquium, ſed quo improuiſus amator
Occurrens Dominæ fundere vota velit,
Obuius hoc blandum compellet amicus amicum,
Hoc ſubitum excipiat læta puella procum.
Ars artem fugiſſe mihi eſt, & ſponte fluentes
Ad numeros facilis pleraque Rhythmus obit.
Nec ſolis addicta iocis, riſúque mouendo,
Semper in exiguo carmine vena iacet,
Sæpiùs & grandes ſoccis miſcere cothurnos,
Et ſimul oppoſitis docta placere modis:
In lachrymas natam pater, aut leuis egit amator
Sæpius, aut luſu ſæuiit ira proci,
Atque vbi penè latus venalis pergula rumpit,
Hic aliquid dignum laude, Lyſandre, furis,
Nec minus Angelicæ dolor & ſuſpiria ſpretæ
Quàm placuere tui, Phylli iocoſa, ſales,
Et quorum in patulos ſoluis lata ora cachinnos,
Multa his Angelica lachryma flente cadit:
Sed tamen hîc Scena eſt, & geſtu & voce iuuantur.
Forſitan & mancum Roſcius implet opus,

Tollit ſi qua iacent, & toto corpore prodeſt,
Forſan & inde ignis verſibus, inde lepos.
Vix ſonat à magno diuulſa Camœna theatro,
Blæſáque nil proprio ſuſtinet ore loqui.
Hi mihi ſunt fines, nec me quæſiueris extrà,
Carminibus ponent clauſa theatra modum,
Nec, LODOICE, *tuos auſim temerare triumphos,*
RICHELIVM*ve humili dedecorare lyra.*
REGIS *ad aduentum fuſos Rhea protinus Anglos*
Tundere ſpumantes libera vidit aquas:
Victa ſibi nullo Rupella cruore madendum
Mirata eſt, iram vicerat ille prius,
Victores Dominum, victi ſenſere parentem,
Mœnibus admiſit cùm bene-ſuada fames.
Quem ſpreuit ſocium, dominum tulit inde Sabaudus
Quique fide potuit cedere, ceſſit agris,
Ceſſit & obſeſſo pugnax à Cazale Iberus,
Iámque ſuo ſeruit Mantua læta Duci.
Arx quoque totius non impar viribus orbis
Nanceium viſo vix bene REGE *patet.*
RICHELIVS *tanto ingentes ſub Principe curas*
Explicat, & tantis pars bona rebus adeſt,
Nec precioſam animam LODOICI *impendere palmis,*
Aut patriæ dubitet poſtpoſuiſſe bonis.
Tempora rimatur, pauidum ruiturus in hoſtem
Et ruit, & ſolo nomine ſæpe domat
Neſtora RICHELIVS, REX *vincere poſſit Achillem.*
Hæc leuibus metris credere, quale nefas?
Tanta canant quorum præcordia Cynthius vrget
Plenior, & mentem grandior æſtus agit:

Sit ſatis ad noſtros plauſiſſe vtrumque lepores,
Forſitan & nomen nouit vterque meum;
Laudibus apta minus, curis fuit apta leuandis
Melpomene, & longos ſit, precor, apta dies.
Hos geſtit verſare modos, hic neſcia vinci
Noſtra coronato vertice laurus ouat:
Me pauci hic fecere parem, nullúſque ſecundum,
Nec ſpernenda fuit gloria pone ſequi.
Deſipiat nota forſan qui primus in arte
Vltimus ignotis artibus eſſe velit.
Suſpicio vates, & carmina pronus adoro
Materiam queis REX, RICHELIVS*ve dedit:*
Sed neque Godæis accedat Muſa tropæis,
Nec Capellanum fas mihi velle ſequi,
Vt taceam reliquos, quorum ſonat vndique fama
Non minor, & grandi pectore vena ſalit.
Hos ego ſperarim nequicquam æquare canendo,
Hos ſua perpetuum, me mea palma iuuet.
Tu modò, quem meritis dudum minor infula cingit,
Neuſtriacæ, Præſul, gloria lúxque plagæ,
Heroum ad laudes, dignóſque Marone triumphos
Parce, precor, tenuem ſollicitare chelyn

EMINENTISSIMO CARDINALI DVCI DE RICHELIEV,

ANAGRAMMATA.

ARMANDVS IOANNES DV PLESSIS DVX DE RICHELIEV.

Alexander Heroum ſplendidus aſſiduè vincis.
Admirandus Vice-rex, Apollinis ſede vehendus.
Diem ſinu aduehens ſplendidius Aurorâ luces.
Sed Dux prudens vnione Lilij chare amandus es.
In ſidera euehendus, amplas inde lauros ducis.
EMINENDVS CARDINALIS vt lux purè aſſides Deo.
Sol verendus maris videns vndas placide rexi.
Pharus Dei aſſiduè lucens mundi exornas dies.
En validus mundi Heros pacis arx diue ſplendes.
Numen pacis, Lex Dei, Aulæ ſidus, Ordinis Herus.
Sidus Herculis in axe diu adorandum ſplendes.
Remex diuinus naues pellens diducis ad oras.
Valde prudens Conſiliarius ex manu Dei ſedes.
Sol maris diuis adhærens Deo plenè iucundus.

ALIA.

ARMANDVS DV PLESSI.

Mars dudum ſapiens.
Prudens malis Deus.
Prudens mari ſalus.
Amandus Dei Præſul.
Vndas maris eludes.
Præſul admirandus.

ALIA.

ARMANDVS IOANNES DVX DE RICHELIEV.

Aue Cardinalis ex Duce mundi Heros.
Heu veni Sol ex arce mundi radians.
Non exues dehinc laurei Ducis arma.
Lux ſanè munda, inane decus irrideo.
In audendis maior Hercule renides.
Diuinus Heroum Alexander candes.

L. BOVCHARD.

ALIVD.

ARMANDVS RICHELEVS.

Hercules admirandus.

AD EMINENTISSIMVM
CARDINALEM DVCEM
ODE.

QVALIS *candidus aliger,*
Fontis Bellaquei regius incola,
Cycnus gloria fluminum,
Si forſan mediis nubibus aduolans
Cernat pennigeros greges
Iam laudaſſe Deum, qui placidum iubar
Terris omnibus exerit,
Soluit longa nouis guttura cantibus,

Et dulces querimonias
Cùm fudit, ſolito grandior entheis
Penſat carminibus moram,
Et laudes niueo pectore parturit
Paſtus Nectare Delio.
Talis dum reſonant innumeræ fides
Lauros principis inclytas,
Et gaudent ſtadio currere nobili,
Dum me Gallio detinet,
Harlæúſque nouis vrget amoribus
Ad magnum RICHELI *decus,*
O ingens Latiæ gloria purpuræ
Laudes ingredior tuas,
Quantùm impar meritis! ſed decus eſt tuum
Quòd tantò ſuperes melos,
Et vatum citharas alta canentium,
Quantò palma ſuperbior
Abiectos ſuperat vertice palmites.
Sed vos ô Charitum manus
Nunc vati alipedem ſiſtite Pegaſum,
Vt ſublimis in æthere,
Gallíſque & Latiis mixtus oloribus
Famam RICHELII *ſequar,*
Et fœcunda ſuis prælia laureis.
Sic ô ducite virgines:
En iam per nebulas fertur, & arduo
Hinnitu nota inſulam,
Vnde expulſa falanx, quam furor Anglicus
Commiſit pelago & neci.
Hîc parent clypei truncáque corpora

Mutis præda natantibus,
Et quæ prima dies hos dedit æquori
Errantem his tumulum dedit.
Hîc auguſta mei gloria Principis
Hîc & RICHELII fides
Perſtant cæruleo marmore conditæ,
Et dum ſtabit in æquore
Palmæ Francigenum teſtis erit Rhea.
Sed quæ nunc generoſior
Ponto pugna calet? nonne rebellium
Cerno littora Santonum?
Hîc frænata Thetis purpureâ manu
Miratur noua vincula
Ignotúmque obicem: Bellua centiceps
Quæ tot ſpreuerat impetus,
Et tot caſtra ducum fregerat, in meo
Centum principe Cæſares,
Atque in RICHELIO tot Fabios videt:
Sed dum ſtrata Rebellio
Victorem pauidis mœnibus excipit,
Et iam mille neces timet,
Exangues meritæ relliquias famis
Regis dextera ſuſcitat,
Expellitque famem, ſic populus nocens
Cui iam dulce fuit mori,
Nec mors pœna foret, nunc ſibi, nunc ſuo
Gaudet viuere principi,
Qui ſontes animas ex tumulo trahit.
At quò me rapit impetus?
Palmam palma vocat. Gallicus Hannibal

Alpinas acies ſuis
Proturbat latebris! horruit eminus
Præceptas volucrum vias,
Senſitque imperium Suſa, nec arduis
Audet fidere montibus,
Cùm Galli celeres tranſiliunt iuga.
O magnum Auſtriacæ domus
Et clarum opprobrium, quod ſtupuit Tagus,
Nilúſque & Tigris audiit,
Seruatur Caſalis, Mantua redditur.
Diſcat cæca ſuperbia
Nil fortes animos armáque Principum
Poſſe in Liligerum Ducem
Fretum conſilio Neſtoris & fide:
Sed quales tibi láureas
Princeps, tunc Genius RICHELII *dedit,*
Quando turba furentium
Nanceium Auſtraſiæ perfidiæ caput
Armis oppoſuit tuis:
O periura cohors & ſcelerum tenax!
Neſcis Hectora Gallicum
Nutu & concilio vertere mœnia:
Et nunc quis domitis furor?
Hiſpanis iterum fidere viribus
Et vanis Aquilæ minis
Cuius penna cadit. Te mea Gallia
Rhenúſque & Tameſis tremunt,
Miratur Tiberis, Moſáque perfidus
Captiuo fluit alueo.
Et iam Luna timet, ripáque Boſphori

Audit Liligeram manum
Tutam conſilio purpurei Ducis
Orbis ſoluere vincula.
Tu Regum domitor, cui celeres noti
Pennâ ſupplice militant,
Quem vatum monitus dextráque fortior
Ad mundi regimen vocat,
Orbis poſſideas imperium, & tuus
Claues RICHELIVS *gerat.*
At tu Regis amor quem populi ſtupent
Sidus nobile Franciæ,
Qui ſolem aßiduo lumine conſulens
Auges Gallica Lilia,
Sic pergas ſuperis auxiliantibus
Trans Rhenum & Scythiæ plagas
Regis fata ſequi, ſic quoque nobiles
Amplecti Aonidum choros,
Tecum vt BORBONIDEM *poſteritas amet.*
Qui terram & pelagus domat,
Ni vatum faueant carmina, perfido
Credit cuncta ſilentio:
Sed tu qui placidis auribus excipis
Dulces Francigenum lyras,
Quem Metellus amor Pegaſidum canit,
Quem Sirmondus & inclyti
Muſarum proceres. funeris immemor
Viues poſt tua funera,
Et te per populos gloria deferet,
At naſcens Academia
Et Galli & Latij pectinis artifex,

Cui laudum ſegetem dedit
Nomen BORBONIDÆ *Principis & tuum*
Euris vecta iugalibus
Ibit trans liquidos Oceani ſinus,
Ibit trans Boreæ niues,
Et tam ſacra canet nomina Barbaris.
Fœlix cui pariter placent
Et palmæ & citharæ : palma furentibus
Tandem victa Notis cadit,
Et lauros perimit qui peperit dies,
Nec longum retinent decus,
Sed iunctæ citharis perpetuò virent.

PILVERDERIVS.

IN DEDITIONEM
ARCIS MOTENSIS.

OBSTABANT *collis præceps, & ſaxea moles*
Quo minus Arx poſſet ſcalis, flammiſue domari,
Iuppiter vt muris admouit fulmina belli,
Fit Mons planities, rupes argilla, ſuique
Tota ſub imperium Regis Lotharingia vênit.

S. D. GR.

MVSARVM TRIVMPHVS,
AD EMINENTISSIMVM CARDINALEM DVCEM RICHELIVM.

Ex Gallico COLLETETII.

ERGO quem votis exoptant Tybridis vndæ,
Sequana ſed melior retinet, quem ſuſpicit Orbis,
Omnia RICHELIVS *rimans penetralia rerum*
Muſarum pallet ſtudijs & carmina curat!
Ergo fauoribus haud indignis pectore tanto
Præmia ſuccedunt noſtro tandem æqua labori!
Quamuis conſilio mihi mens illuſa prophano
Hactenus incluſos vetuiſſet Apollinis ignes
Prodire in lucem è latebris, me perfida quamuis
Turba nouem Aonidum ſpe prolectaſſet inani;
Parnaßique vndas prudens & inhoſpita ſaxa
Cauiſſem, intrepidis ceu certa pericula nautis:
Iam nunc vela darem ventis, cùm debita laurus
Redditur, & longo merces pòſt tempore venit.
Caſtalios fontes quam ſæpius antè ſolebam
Haurire eſt animus; tacitum iuuat ire ſub vmbras,
Nympharúmque videre choros, cantúſque notare
Cum numeris, atque his rebus curíſque ſolutum
Cælo inferre caput ſublime Deíſque fruiſci.
At vos æterno redimitæ tempora flore,
Nobilior Diuûm ſanguis, decora addita cælo,

Doctæ Pierides, quibus haud metuentia fatum
Carmina decurrunt, & queis ſententia Vati
Stat veſtrò ſolis citharam tentare magiſtris:
Deſerite Æmonios amnes & flumina nota,
Pimplæáſque procul rupes, Cirrhæáque templa,
Quæ veteris vix dum ſeruant veſtigia formæ:
Grajo nulla ſolo celebri miracula famâ
Sollicitant animos, & iam regionibus illis
Barbaricæ vtuntur gentes cognomine cælo.
Omnia quinetiam referet cum falce recurua
Tempus edax, fixum hoc & non mutabile in vno
Alternas mutare vices, ſoleátque repentè
Vnius ſolium alterius reparare ruinâ,
Euertit quas quondam illic ſacrauerat aras,
Virgineáſque vndas lethæo flumine damnat.
Huc ô ferte pedem, diuæ, quà Sequana ripis
Mollibus alludens, omni fœlicior amne,
Diſtinctas gemmis atque auro voluit arenas:
Hîc antra, hîc ſyluæ, hîc poſitis altaria templis
Numina veſtra manent plenâ fumantia acerrâ,
Vnde acceptus honos Veſtrorum in commoda vertat.
His æterna locis pax grato munere diuûm
Mille iocos inter luſuſque & gaudia mille
Fundamenta locat manſuræ in ſecula ſedi.
Ergo metu procul omni, nuſquam cæde madentes
Cernetis campos, niſi cùm ſuccincta pharetram
Fixit aprum Nymphe, mediáque extendit arena.
Sponte ſua natos viridi de cæſpite flores
Hîc tam multiplici pingit variátque colore
Naturæ ingenium ludentis, vt aſtra videri

Iam

Iam noua poſſe putes alio fulgentia cælo.
Frontibus ex illa nectetis neſſe coronas,
Decedat quibus inferior vel Delphica laurus.
Vos ô præſertim quanto perculſus amore
Huc vocat ARMANDVS*! non illi purpura tantùm*
Veſte rubet (quanquam radiis totum impleat orbem)
Quantâ intus veſtri flagrat ſub pectore flammâ:
Olli deliciæque & lenimenta laboris
Eſtis Atlantæi, & grauibus ſolatia curis.
Atqui nec patitur charam cæleſtibus artem
Spernere mortales vſquam, vobiſque camænis
Qualis honos, talem veſtri retulere Poëtæ.
Sublimes in equis, aureóque Lutetia gaudens
More triumphantum curru proſpectat euntes:
Hos LVDOVICVS *amat, necnon penetralibus altis*
Excipit, & fit idem Regum genus atque Deorum.
Prima puellarum, ô Proceres, & maxima cura
Caſtalidum, ſacri Myſtæ, fœlicia Gallis
Sidera, iam vel Sole minùs non cognita mundo;
O qui præpetibus liquidum ſuper æthera pennis
Sublati, æquor deſpicitis, terráſque iacentes;
Qualis ab Eois qui nuper cognitus Indis
Ales, cæleſtem noſtri cognomine dicunt,
Arbore non vlla ſidit, veſtigia nuſquam
Signauere ſolum, vſque adeo contagia terræ
Vitat, & alta petens vnis (mirabile dictu)
Diuinum os aperit ventis ac veſcitur aura.
Vulgares ſenſus & humi repentia verba,
Et praui fucum eloquij, verſúſque coactos
Exoſi, famam æterno tranſmittitis æuo;

Vos huc appello teſtes mihi vera loquenti
Quotquot habet charos, totíſque amplectitur vlnis
Nobilis Antiſtes, quorum celebrante camœna,
Quæ veterum longè laudem ſupereminet omnem
Gloria RICHELII, *hanc ipſam poſt ſæcula mille*
Poſteritas olim accipiet gratámque fouebit,
Diuinóſque viro diuino impendet honores:
An quiſquam veſtrûm generoſo à Principe fruſtrà
Implorauit opem? doctiue in fronte libelli
Præpoſuit nomen tantum, quin protinus ipſi
Ornata ingenti manus irradiauerit auro?
Obſcurâ emergunt vmbrâ, cæcíſque tenebris
Innumeri Vates ad tanti lumina Solis
Conſpicui, meritóque ingrata ab gente repoſcunt
RICHELIO *demum rediuiuam vindice laudem.*
Suſpiciant alij antiquos in imagine vultus,
Aut quas ſpirantes fudit Statuaria formas;
Æra vetuſtatem longæuam & marmora vincant;
Hìc ſcalprum laudet Phidiæ, hunc delectet Apellis
Peniculum; imò verò aliquis conetur vtrumque
Arte ſequi, audax ingenio fidénſque iuuentâ:
Quælibet illudant delinimenta colorum
Spectantes oculos, menſque eminùs hæreat anceps
Spirétne effigies auram vitáque fruatur;
Illa tamen tenui cedunt monumenta libello.
Non potis ingenij dotes Pictura referre,
Virtutémque animi Sculptor non marmore ſignat;
Nec mouet affectus Tabula aut immobile Saxum,
Ars diuinitùs hæc vni conceſſa Poëtæ.
Si qua viget veterum latè diffuſa per orbem

Gloria, par nulli vis culti Carminis iſta eſt.
Sic ab Olympiaco Elæis certamine campis
Magnanimi Heroës ramis pallentis oliuæ
Victricem euincti frontem, licet aſtra ferirent
Vertice ſublimi, virtutúmque inclyta fama
Inde omnes mundi ſeſe perferret in oras;
Hos vixiſſe tamen nota vix foret vlla ſuperſtes;
Si non grandiloquo celebraſſet Pindarus ore.
Illi nunc etiam cauea plaudente videntur
In curſum effuſi pedibus præuertere ventos;
Vibrare hic telum, hic cæſtus aptare lacertis,
Alter equo ardenti totas immittere habenas;
Pars curru inuecti biiugo per aperta ruente
Præcipites ſpatia, euitatas axe volucri
Prætereunt curſu metas flexúque ſecundo:
Fit ſtrepitus campis, puluis volat ater ad auras.
Fama igitur tantùm reſtat victoribus illis,
Quanto floret adhuc pecten Dircæus honore.
Sic gemini, Libyæ exitium, duo fulmina belli
Scipiadæ, ingentes muros Carthaginis altæ,
Quæ dominæ faſces inuiderat æmula Romæ,
Funditùs eruerint fruſtrà; ipſis Africa nomen
Victa ſuum fruſtrà dederit geminóſque triumphos;
Cunctáque nobilium denſis immerſa tenebris
Fortia facta Ducum exciderint, niſi carmine viuant,
Seráque mandarit libris in ſecula Clio.
Cui non erigitur templum, aut altaria pingui
Thure calent, vmbríſque latet non cognita Virtus,
Hæc puro ſimilis Phœbo, cui nubila frontem
Spiſſa tegunt, ſolita illum lux & flamma reliquit.

Deſidiâque parum, ſi celas, diſtat inerti.
Huic quoque ſe vitium niſu conferre nefando
Audeat, è latebris ni vates aſſerat vltor.
Scilicet hæc propria eſt ſacrorum gloria vatum.
Grandia Mnemoſynes diſpenſant munera, & ignis
Intus agens ipſis circum præcordia, clauſtris
Erumpens latè decies centum amplius annos
Fulgurat illucétque orbi: non Barbarus illum
Diluuio immiti exundans extinxerit hoſtis,
Non tenebroſâ obduxerit ignorântia pallâ,
Turpata horribilem nigrâ caligine vultum.
Obſtantes radiis diuina ſcientia findit
Seclorum nebulas, & quæ placuere ſub æuo
Auguſti ingentis, iam nunc quoque pectora mulcent,
Noſtráque Romanus perſtringit lumina fulgor.
Vſque adeo verum eſt aliorum geſta Poëtæ
Dum memorant, æternam ferre ſibi quoque laudem.
Nuſquam alibi melius radiatis Sceptra, Coronæ,
Purpuráque inſignis Regum, tripléxque Tiara,
Ingens Aoniis ſcriptoribus argumentum:
Nempe humiles horrent vitas, imóque iacentes
Puluere; quas operi incœpto ſi fortè dedere
Materiem indignam, toruùm deſpectat Apollo;
Ergo quicquid Pieria enitatur, âbortum
Infœlix patitur, nec lucis prodit in oras;
Aut partus læuo ingreſſus ſub ſidere vitam
Nullius inuidiam mouet, & riſum excitat Auctor.
Vt verò ingeniis præſtantibus aurea ſæpe
Materia omninò pretium lucémque miniſtrat:
Sic etiam duplici Heroës vicere triumpho

Ipſi, ſi factis dignos legere canendis:
Scilicet experti quanto diſcrimine cælum
A terra diſtet, vitróque Adamantinus ignis,
Quàm tenuis riuus violento differat amne,
Et lauri virides pallentis fronde ſalicti;
Delectúque habito furua fuligine tinctos,
Se niueis coruos prohibent componere cycnis,
Cycnis, qui cantus mulcent dulcedine tantùm,
Quantùm illi raucis clamoribus aëra complent.
O cui conceſſum inſpiratas cælitùs artes
Exoſo penitus Muſis dignoſcere cantu;
O decus, ô columen rerum, quem propter & antra,
Theſauróſque Deæ mihi recluſere repoſtos;
Præcipuum Regni robur, quo Cardine florens
Vertitur imperium Gallis, qui pectore in vno
Virtutum genus omne amplecteris, inclyta cuius
Et ſine labe fides fortunâ dignior omni:
Dum procul ad Moſam ſtipatus milite denſo
Tot palmas veteres lauro cumulare recenti
Pergis, & adglomerans LVDOVICI *ingentibus armis,*
Formidatum Aquilæ bellum metuendus adornas
Conſilio, quo etiam Turcis ſua cornua pallent,
Aureáque in pomum Imperij tria lilia vergunt:
Ni rerum curæ vigiles, impensáque Regi
Officia auertunt; ſi inter bellíque tumultus
Armorúmque vacat vatum demittere in aures
Carmina, & interdum ſtudio indulgere Camœnæ;
Quanquam aliis dictus toties, & nomen ad aſtra
Sublatum potiore cheli, hos ne deſpice cantus;
Atque tuis donum Muſæ haud ignobilis aris

Accipiens, cultus neu dedignare minores.
Si tenuis labor, exiguum ſi gratia munus
Deſtituit, veneréſque abſunt; ſuffecta pudore
Lumina fixus humi, ſuſpenſum poſtibus altis
Quicquid id eſt dico, maioris præludia plectri.

RENATVS MICHAEL DE LA ROCHEMAILLET,
Pariſin.

CORONIS TOTIVS OPERIS.

AT tu Muſa ſile, finémque impone labori,
Creſcet in immenſum, ni cohibetur opus.
Laus tenuis loquitur, ſilet admiratio, & ipſa
Numina parte volunt interiore coli:
RICHELIO *non multa placent, nec tota caniſtra,*
Sed mage ſunt parcâ ſerta ferenda manu.
Crimen erit, dices, carmen prohibere modóſque,
Quandoquidem geſtis non facit ille modum.
Sed reus eſt tanti qui grandia Principis acta
Ingenij culpa deteriora facit.
Ergo Muſa ſile, finémque impone labori:
Iam, ſi non alias, hac breuitate places.

SC. D. GRA.

DE TRIPLICI CONNVBIO TRIVM NEPTIVM EMINENTISSIMI CARDINALIS DVCIS.

EPIGRAMMA.

DVM cæſis Aquilæ pennis, Tameſiſque, Tagúſque,
Atque ferox Rhenus Gallica ſceptra pauent,
RICHELIVS *(cuius mens quanta eſt, ſpectat vt orbis*
Francigenum vnus ager fiat, & vna domus)
Ne deſint proceres tam fido è ſanguine creti,
Nimirum fidei conſcius ipſe ſuæ
Præſtat vt ingentes animas & fortia corda
Tergeminus fauſto fœdere iungat Hymen.
Pendite Borbonidûm regalia fœdera, quantum
Obſequium vobis hæc tria vincla ferent,
Nempe orbi dabitis Franco de ſanguine Reges,
Aſt orbem Francis regibus iſta dabunt.

PILVERDERIVS.

ILLVSTRISSIMO DOMINO
D. IOANNI ARMANDO PLESSIO,
S. R. E. CARDINALI EMINENTISSIMO,
DVCI RICHELEÏO, &c.

PANEGYRICVS.

EXTREMVM *fortuna mihi concede fauorem,*
Ingrati impingant ne feſtinantia crimen
Fata mihi: dudúmque ſeni deſueta vocari
Numina, Pierides, tetricos ne ducite vultus,
Dum Latia magnum ſerus nimis ordior arte
RICHELIVM*: quondam & temeraria carmina laudem*
Inueniunt pietate, & major culpa ſilentis.
Eſt vetus & toto notiſsima fabula Regno,
Seu quid habet veri, ſeu noſtris patribus illa
Impoſuit, placuitque nouis accommoda rebus.
Tempus erat Francæ (vt perhibent) corruptius aulæ,
Non eadem quæ nunc pietas, moréſque vigebant.
Vaſtæ ſpes hominum, mentes & ſcire futura
Præter fas auidæ: vetitas fortuna per artes,
Et regum ſoboles venturi inquiritur æui.
Plurimus arcanis conuênit Thuſcus aruſpex
Cœtibus, & nigræ ſacris exercita ſaga
Theſſaliæ: haud deerant & ſollicitantia manes,
Et motura deos horrendi carmina ritus.
Thuſca genus, dudum pro quattuor anxia natis
Mater erat, dubio quam ſucceſſore fatigant

Auguria, éque alia regnator ſtirpe timendus.
Poſtquàm intra ſpatium dimenſum, nocte ſilenti,
Conſtiterant, magicis ibi ter procedere iuſſi
Cantibus, ad regnum quos ſors & fata vocabant
Proxima: tum mugire ſolum & conclaue moueri.
Extemplò cani ſimulacrum apparuit oris,
Inuadénſque locum, bis curſus atque recurſus
Expleuit denos, nube & ſe condidit alta.
Tum nouus emicuit iuuenis, quem præſulis ingens
Armati ſpecies iuſtiſſima bella minantem
Viſa ſequi. ſubitum, nox antè obſcura, ſerenum
Explicuit, ſolitóque humentia purius aſtra
Effulſere polo. centenos amplius orbes
Et ſpatia emenſus, magna ſe victor agebat
Majeſtate potens: illi pietatis adultæ
Iuſtitiæque ergô nullum fortuna negabat
Obſequium: viſa hîc tandem ſubſidere tellus
Illius ante oculos, ſiluitque exterritus orbis.
Accepit ſeu fama fidem, ſeu fabula finem,
Euenêre datæ ſortes, nec inania matri
Optanda hæc cunctis, vni potuêre timeri.
Iamque poli ſecreta patent, manifeſta Deorum
Conſilia euentis, quæ qui prænoſcere tentet,
Haud impune ferat: vult hoc mortalibus vnum
Non licuiſſe Deus: fruſtrà mutare ſciendo
Quæ ventura lâtent alta caligine merſa
Quæſierint. ſedenim de tot nunc millibus, ecquis
Ille ſit armatus Præſul, qui regia terga
Clauderet, vlterius quæri ambiguúmque videri
Deſiit. hunc vnum iampridem oracula monſtrant

RICHELIVM, *hic ille eſt per quem ſua gloria Françis,*
Quique ſitu longo, triſti & ſquallore iacebat,
Inſtauratus honos: rerum, ſub principe, clauum
Hoc moderante, foris nuſquam fœlicius arma,
Conſiliúmque domi ceßit. qui fortè putatis
Mira cani non vera cani, conferte priora
Quæ noſtri videre diu ludibria patres.
Nam ſimul atque nouæ creuerunt impia ſectæ
Semina, mentitâque animi excuſſere rebelles
Relligione iugum: rebus quoque viſa nouandis
Opportuna nimis pueris ſub regibus ætas:
Continuò metus & regum, & reuerentia legum
Ceſſerat, & ſciſſa ſtudia in contraria partes
Ibant auerſis in mutua funera Diuis.
Gallia tum infœlix Regnum deforme trahebat
Viſceribus laniata ſuis, vbi ſæpe cruentæ
Conflixere acies, moríſque vnius & oris
Tingere cognatas gens effera ſanguine dextras.
Suſtinuit. ſpectans caſuri Hiſpania Regni
Exequias, gauiſa ſinu eſt, orbíſque potiri
Imperio, tantâ potuit ſperare ruinâ.
Nec ſine res acta auxiliis, nec ſæuiit intra
Gallorum ſolos animis furor iſte lacertos:
Externas accire manus, viſúmque Britannis
Oſtia venturis, queis Sequana clauditur obſes
Pandere, vt impoſitus noſtris ceruicibus hoſtis
Verius in gleba titulum iactaret inanem.
Huc etiam toto ſeſe effundentia Rheno
Agmina, & ad prædas auidis Germania venit
Curribus. inſani ſerò poſt damna furoris

Pertæſum tandem eſt, pacéſque redemimus auro
Turpiter, & læti phaleris & torquibus hoſtes
Quiſque domum rediere: velut Rex ipſe vocaſſet
Sæpè ſuos dixit ſocios, & facta probauit,
Hæc etiam edictis compulſus ſumpta fateri
Arma ſibi, & duris dare blanda vocabula rebus;
Præmia tunc crimen, meruítque iniuria grates.
Excidat illa dies æuo, quæ cædibus vrbem
Attonitam impleuit, iam mane rubentibus aſtris:
Cùm nuptæ innuptas reſperſit ſanguine tedas
Inſidioſus Hymen, ſtrage & permiſcuit vna
Sontibus inſontes. quid tanta licentia ferro
Conceſſa eſt? capita in peccantia regibus enſis,
Sed non ſica datur: iuſto potuere perire
Supplicio, pœnam meriti: at non iure cadendo
Vltores habuere Deos, & iura querelæ:
Majeſtáſque infirma, reos, quæ duxerit hoſtes:
Erubuítque ſequeſtra fides: ſed venit ad iſtos
Pronuba Tiſiphone thalamos; cælúmque vetabat
Inde dari Regem, vel ab iſto viſcere naſci.
Sic debellatum lanius ne crede, malorum
Nondum finis erit, nec, quamuis ſtrage recenti
Territa, Santonicis vrbs expugnabitur oris.
Quinquaginta annos vltra ſupereſſe rebellem
Fata Deúſque ſinent, animóſque à vulnere tanto
Sumere: relliquias cladis teget illa, nouíque
In Regno Regni longùm ſimulacra fouebit,
Arx belli, rerúmque caput: non partibus vrbes,
Non deerit ſua nobilitas: ſe mœnibus altis,
Et, quale haud Babylonis erat, munimine cinget.

Sed mentis tandem non eluctabilis ordo
Diuinæ, iuſtúmque manens ea gloria regem
Euertet, totis nudatam in littore muris.
Interea iuſtos tot detrectantia frænos
Oppida quis ferret? cur queis obtenditur vna
Relligio, titubare fide, & cum rege paciſci
Ex æquo, velutique omni iam lege ſoluti
Pergent legitimis impune illudere ſceptris?
Conuentus & habere ſuos, & in æquore claſſes?
Exuere ingeniis ſubiectos, ore fateri?
Nam pars ſana magis regni quæ reſtat, auiti
Et retinens cultus, hoc in contraria peſſum
Iuerat exemplo, labem & contage trahebat.
Prætextu cœpere nouo cùm fœdera paßim
Audiri, ſibi quiſque ſua ditione videri,
Qui medij regni eſt vel limitis vrbe potitus:
Commißámque ſibi vel Regi vendidit arcem,
Vel tenuit dominus, qui cuſtos antè tenebat:
Denique confuſis rebus, tot regna quot arces.
Vna rebellantum fiducia, ſi qua, labante
Fortuna, ingruerent duri diſcrimina caſus,
Tranſire ad partes: ſimul eſt ſublata poteſtas
Legibus, vt quem res fœdè aut grauiora premebant
Crimina, & ingluuies alieni merſerat æris:
Exulibus quocunque modo, Rupella paratum
Perfugium eſt ſemper: galeatum ſontibus illic
Præſidium, tutóque datum eſt conſiſtere portu.
Viderat hæc ingens animis, ſimul atque miniſter
Curarum domini, cupidæ ſucceſſerat aulæ
RICHELIVS, *ſecúmque diu maleſana priorum*

Conſilia expendens, quibus, hæc indigna ferendo,
Tàm ſecura quies, vel regni, commoda vênit
Poſt priuata, ſalus: altum crudelia paſſæ
Jndoluit patriæ, magniſque efferbuit auſis.
Ergo intentatas aliis, ſententia ſedit,
Jre vias: curæque duo hæc tum prima fuere:
Quo pacto obſequiúmque domi inuiolabile regi,
Amiſſoſque foris genti repararet honores.
Nec ſine Diis, certo currebant ordine rerum
Talia, maturis noſtra in ſolàtia fatis,
Concordéſque ibant meliora in ſtamina Parcæ,
Nec precibus noſtris non numina cœpta moueri.
Interuulſa diu, reddi ſibi Gallia tandem
Poſcebat, queſta ærumnas & vulnera ſæua:
Audiit è cœlo Nemeſis, malè tuta profundo
Intremuit Rupella ſuo, & dira omina ſenſit.
Anglus vt excidium perituræ auerteret vrbi,
Quem ſua non vxor, non connubiale mouebat
Fœdus, Aquitani renouans ſpe ſomnia regni
Forſitan, arma parat, claſſémque è littore mittit.
Præficitur dux, delitiæ natique patriſque,
Formoſúſque Paris cum ſemiviro comitatu
Regna ſecat latè ridentibus humida nymphis:
Perfuſum caput vnguentis, ferróque calente
Vibrati crines, ſpeculúmque & plurima luxus
Jnſtrumenta ſui ſecum per cærula portat;
Par animo, leuibus pulſant qui carbaſa ventis:
Interea Galliſque neces & vincla minatus,
Ceu breuis Herculeas illi daret inſula metas,
Hæret ibi, ſentitque alium delapſus in orbem,

Flumina Caſalium, princeps extorris & exul
Ibit, & æternum deſerti Gallia probrum
Sentiet? haud iſta eſt iuſto patientia Regi,
Protinus illatis damnúmque ac dedecus armis
Accelerat prohibere: æquæ pia numina cauſæ
Fauerunt, queis nunc iratis forſan Ibero
Cunctus ob Italiam ditionum fluctuat orbis.
Gallica vix alio meminerunt tempore caſtra
Succeſſus habuiſſe pares: & Regibus vltrò
Infauſtam noſtris maiorum exhorruit ætas
Italiam: ſed nos melior fortuna manebat
Auſpiciis alius fretos, alióque Miniſtro.
At plures, ægris, queis proſpera noſtra tueri
Ingenium eſt, oculis, & ſola Hiſpania cordi:
Carpebant clàm RICHELIVM, *diſcrimine Regem.*
Ceu temerè induerit, pactis & nolit amicis
Conuentum, oblatáque recuſet pacis honeſtæ
Conditione frui, bellandi eſt tanta voluptas!
Immanes ſumptus, tot millia peſte faméque
Interfecta hominum, tot fortia corpora volui
Eridano, poſtquàm licuit componere bellum.
Hæc liuoris erant gliſcentis murmura, ſed quæ
Ante decus patriæ fortis non poneret Heros,
Verba dari nuſquam ſibi, pacis imagine, paſſus.
Quos Hiſpana vades daret, aut quo tuta fuiſſet
Hæc, ſponſore, fides, cui credula pectora Gallos
Ludere ſolenne eſt? belli ceſſare paratus
Præſentes vbi ſenſiſſent, Gallíſque remiſſum
Ardorem, noſtráſque domum remeaſſe cohortes,
Caſalium, facilíſque capi tunc Mantua: certæ

Tunc prædæ ſocius princeps: & compede vinctam
Italiam, oppreſſa mox libertate tenerent:
Elapſóque foret rerum lux vltima Gallis
Momento, nec bis, peccandi tanta facultas.
Iámque nec, Hiſpanis niſi perſcrutantibus, ire
Nuntiùs aut Romam, aut potuiſſet epiſtola mitti.
Quis locus indecores Romæ cepiſſet? vbique
Conclamatus honos gentis. timuere minores
Italiæ domini, noſtro ex errore, propinquum
Seruitium: ſed RICHELII *prudentia falli*
Neſcia, ſollicitos iſta formidine ſoluit.
Nam prius hunc, longo veterator callidus aſtu
Allobrogum dominùs, dum circunducere tentat,
Artes eluſit ſenis, artibus, atque negatum
Caſalio perrupit iter, nec ſegnior vllis
Colloquiis vadens, totus ſua fertur in orſa,
Propoſitúmque premit. plorarunt funere ſero
Bis capti Phryges: aſt animi non turbidus hæres,
Incolumi nunquam ſperandam patre quietem
Poſſedit, cui regali digna obtigit antè
Coniugio, pulcrámque ſoror dât Regia prolem.
Nec modò difficiliſque capi, indociliſque teneri
Retibus infida eſt pacis, ſed quantus in arma
Prætereà aſſurgit, viſúmque it cominus hoſtem
RICHELIVS? *quem nec victum deſiſtere cœpto,*
Caſalij dubiam nec deſperare ſalutem
Compulerit, noménque ingens & Cæſaris vmbra?
Tum vulgo quoque terribilis, ſed iámque caducæ,
Profectura nihil Liguris præſentia, famæ?
Vſqueadeò ſunt prona viro, quem ſpiritus altæ

Nobilitatis agit, ſponſoribus omnia diuis!
Tunc quoque, nî Francis diſtaret Mantua caſtris
Longius infœlix, à diro tutior hoſte,
(Seu fatum eſt ſeu proditio) ſeruata maneret,
RICHELII *cura. tamen ad ſolatia cladis,*
An grauius captæ vulnus, maiúſne receptæ
Sit decus, ambiguum, ventura in ſecla relinquet.
Ite laboratæ nunc vrbes, ite ſuperbi
Et veſtris poſthac ciues confidite muris.
Defenſore opus eſt, capit has, tutatur & illas
RICHELIVS, *ſed contra vnum defendere tantùm*
Non datur: hunc arcent munimina nulla, nec altis
Montibus impoſiti montes, foſſæve profundæ,
Nulla, manus, vigiléſque oculos exire, poteſtas.
Sat docuit Rupella, ſed hoc quoque Nancia clamant
Mœnia: quid tantis circundare profuit vrbem
Molibus, & pinnas & propugnacula cœlo
Tollere? momento eſt illic, tot, ſcilicet vno
Effuſus labor annorum: patuere loquenti
Omnia: ceu ſtructas vocali Amphione Thebas
Verſa re memorant, blandæ & teſtudinis vltrò
Saxa ſecuta ſonum: tantum oſtentata timorem
Attulit obſidio! quamuis hyemémque propinquam
Cerneret, Hiſpanas propiúſque accedere turmas
Auxilio; ſupplex munitam reddidit vrbem
Auſtraſius iuuenis; ſemper ſua neſcius ille
Pondera metiri, tantúmque laceſſere Regem
In noſtris auſus, Rupella ſtante, periclis:
Ob neglecta reus dudum aut violata clientis
Officia, externis etiam nunc exulat oris.

At quibus ambitio totum ſpe deuorat orbem,
Ne propriis adſint præſto ſuccurrere rebus,
Obſtructos aditus, ſibique intercepta viarum
Clauſtra gemunt: & qui populos calcare ſolebant,
Exiguóſque Duces, deinceps tranſcurrere maior
His aliena labor, ſiſténtque hoc obice greſſus:
Nec Rhetos faciles, ac inuia cuncta videbunt,
Qua Belgas petiere via. nil Sequanus inter
Tot gentes medius, iuuet hos, aut ipſe iuuetur.
Atque ea noſtrorum (ſi vera eſt fabula) Regum
Fata renarrabat, Thuſcæ monſtrata parenti,
Fama prior: ſed quis, vel longa indagine quærens,
Is foret armatus Præſul, ſuſpenſa manebat.
Donec totius voce hic interprete mundi
Editus eſt, qui conſiliis, ſub Principe iuſto
Et Regni vires & Regia temperat arma;
Fœlicem cupiens rebus, poſt nubila, pacem
Surgere, victricíque oleam ſuccedere lauro.
Nec tamen ille manu bellum ſed pectore geſſit
Hactenus. armata quamquam ſi tempora dextra
Rem gerere vrgerent, generoſo ſanguine cretus
In medias acies cunctis audentius iret.
Nec ſacros proceres cerni quis credat, in armis
Procinctúque, nouum: magnis hoc fœta probaret
Hiſtoria exemplis meminit ſeptemfluus Iſter,
Antiquum nec adhuc condunt obliuia morem
Pannoniæ regum, dum fœlix aula maneret:
Armatis ſine Præſulibus non ire ſolebant
Ad bellum: ſacri proceres pars magna fuerunt
Militiæ: primi pugnas iniere: cruenta,

Qua, Regi, & lapſo clades fuit vltima Regno,
Primi acie in Turcas, mortem oppetiêre decoram,
Primáque funeſtis iacuerunt corpora campis.
Voluenti annales, ſacris quoque Bætica bella
Conſtabit ducibus, rubro & pugnata galero.
Tum ſapiens Pallas certans cerebróque manúque
(Conueniunt animis adeò cœleſtibus arma)
Gorgone terrigenas & ſtricto terruit enſe.
Dij tantum ſeruate Virum, tantique Miniſtrum
Pectoris, & decimo plus, vnum, Neſtore, Regi
RICHELIVM: *Atridæ ſimiles optauerit illi*
Aula decem, magnæ capienda ad Pergama Troiæ:
Huîc maior virtus, plus hoc ſperâmus ab vno,
Integra, pollenti vegetis cui viribus, ætas
Floret adhuc, pigræque procul ſunt damna ſenectæ.
Hic Aſiam & Solymos tractus ingentibus olim
Conſiliis repetens, euertet barbara Regna,
Et Regem ſanctæ palmis decorabit Idumes.
Jte ſacerdotes caſtis & poſcite Diuos
Hæc faciles precibus: pueri innuptæque puellæ
Ritè adeant aras, & templis thura vaporent:
Quando etiam, dextro, conſtat ſibi, numine, ſanguis
Regius, & concors pietas fraterna reduxit
Obſequia: affulget læto ſpes optima Regno,
Nemo timet rurſus ciuilia bella, nouarum
Iam rerum eluſis detracto pignore Belgis.

N. BORBONIVS.

EMINENTISSIMO CARDINALI DVCI RICHELIO, &c.

EPIGRAMMA.

CREDET *Poſteritas? Duce te Rhea tuta, Rebellis*
Victus, & æternum Gallia nacta decus.
Te Duce pulſus Iber; quodque eſt mirabile, in imis
Neptunus poſitâ Cuſpide merſus aquis.
Cedite RICHELIO *mortales, cedite Diui;*
Ille homines vincit, vincit & ille Deos.

I. B. DE VALBELLE.

CATALOGVS AVCTORVM HVIVS OPERIS.

AB. Sam. pag.90
Aimerique 95
A.L.C. 91
Anonymi 113.125.201. 211
Auela 123
Barlæus 61
Barrin 162
Barraud 197
Borbonius 104.268
Burſæus 195
C.D.B. 58
Chaſtelet 199
Citoys 90
C.G.P. 111
Cornelius 248
Coulomp 150
Cramoiſy 103
D.S. 92
Deſiré 154
Fauereau 208
Franciſcus Rothomag. Archiepiſcopus 127. & 194
Gaudinus 94
Gomin. 1. Epiſtola, & pag.68. & 246
Grammont 2, Epiſtola, ante priuilegium, & pag.167. vſque ad 192. 258. & 266
Habert poſt 2. Epiſtolam.
Heroüard 204
Iſnard 115
Mæratius 70
Marbeus 247
Milloretus 75
Moriſotus 233
Ogerius 192
Petauius 213
Piluerderius 253.267
Pino Senator Reg. 131
Rogerius. 76

Rochemaillet 153. 259
Le Roux 155
Du Saut 102
Sirmondus 58
Taurinus 163
Therundus 76
Tortel 213
De Valbelle 282
Vauchelles 79. & 217
Vias 210
II. V. Metenſis 122

ERRATA SIC RESTITVENDA.

IN 4. pagina primæ Epiſtolæ linea 24. lege *conſilium*. In 2. pagina ſecundæ Epiſtolæ lineâ 10. lege *optaſsis*. Pag. 63. verſu penult. leg. *conſiliis*. Pag. 64. ver. 9. lég. *Pierióque*. Pag. 67. ver. 10. leg. *Glio*. Pag. 68. ver. 14 leg. *interrita*. Pag. 69. ver. 13. l. *una* abſque accentu. Pag. 64. v. 12. leg. abit. Pag. 162. v. 9. leg. *miſeram*. v. 11. l. *temnúntque*. Pag. 165. v. 26. l. *magnis*. Pag. 169. v. 4. l. *vulgus*. Pag. 189. v. vltimo l. *Geminis*. Pag. 190. v. 4. leg. *Deſiit vtque viri*, &c. Pag. 190. v. 11. leg. *ignoras*. Pag. 191. Hoc Epigramma bis poſitum eſt. Pag. 205. v. 3. l. *Mox fera magnanimæ patuerunt clauſtra Rupellæ*. Pag. eadem ver. 4. leg. *Atque æquanda*. Pag. 206. ver. 25. leg. *vt tanti*. Pag. 207. ver. 4. leg. *male-ſuáda*. Pag. eadem ver. 13. leg. *cederet*. Pag. eadem ver. 20. leg. *Trini*. Pag. 212. v. 13. leg. *prope*. Pag. 2[illegible]. v. 24. l. *Diua refert*. v. 29. l. *init*. Pag. 223. v. 1. leg. *mihi Phœbe monos*. Pag. 225. v. 12. leg. *optanti*. Pag. 227. v. penult. lege *ſentiet*.

In erratis cenſeat lector, quòd opuſcula quædam non ita legitima in hanc carminum ſyluam neſcio quo pacto clam irrepſerunt. Sed illa melioris notæ Poëtis, id erunt quod vmbræ picturis, aut vultibus naui.